Malvagia



DILVCIDATIO
SPECVLI
VERVM MOSTRATIS.
In qua instruitur
in Fide Christiana
HAMET filius Zin
ELABEDIN in Regno
Persarũ Princeps, &
refellitur Liber a'
Doctoribus Persis
editus sub Titulo
POLITOR SPECVLI
VERVM MONSTRATIS.
Superiorum licentia Romæ
Romæ ex Typis Sacræ
Congregationis de Fide
Propaganda. An.° 1628.

INSIGNI PRINCIPI
IN REGNO PERSARVM
HAMET
FILIO
ZIN ELABEDIN.

FR. BONAVENTVRA MALVASIA BONONIENSIS
Franciscanus Conuentualis Doctor Theologus, & in
Sac. Congr. de Propag. Fide Qualificator S. A. P.

PERLEGI librum tuo nomine ſcriptum, quo præcipua ſacræ Fidei noſtræ dogmata euertere niteris. Hinc valdè miratus ſum, te à Chriſtiana Religione alienum, contrarijs edoctum dogmatibus, contrarijs educatum moribus, *Speculum* Veritatis Catholicæ tuæ correctionis, ſeù impugnationis ſerie, illuſtrandi, ac poliendi, opus revera arduum, fuiſſe aggreſſum. Quo enim poteſt fieri pacto, vt qui lucem non habet,

lucem præbeat? qui fidei lumine caret, veritatis ſplendorem dilucidare valeat? Quæ eo cernis in Speculo, vera omnino ſunt, non humana ratione inuenta, non callida fictione condita, ſed ſupernaturali munere fidei ab infallibili veritate, quæ nec falli, nec fallere poteſt, hominibus cælitus reuelata. Non capis, compatior, nec enim abſque ipſa fide capi queunt altiſſima eius myſteria. Aduerſaris, hoc libello reſiſto, quo non hoſtiliter, non conuitijs, ſed fraterna prorſus Charitate, ac ſimplici veritate pro armis amicè pugnabo. Quam alta, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia Dei! Gratulor ſanè tibi, mihi gratulor, gratulor vniuerſo Orbi, Eccleſiæ vniuerſæ, quod hoc tam opportunum agnoſcendæ veritatis pignus tibi largitus ſit miſericors Deus, futurum ſiquidem arbitror, te hac dilucidatione illuſtraturum, qui Speculum illuſtrandum, ſeù poliendum acceperas, te edocturum, qui contra veritatem docebas, te tandem ab errore Maumeticæ ſectæ ad cognitionem eius Sanctiſſimæ, candidiſſimæq. fidei, quæ politore non eget, illuſtratore, qui Deus eſt, non caret, celeriter peruenturum. Eoq. magis quod intellectus tui perſpicacitatem, ingenijq. aciem admirari ſatis non poſſim, teq. ob id vel ſolum, nedum propter nobilitatem, animi magnitudinem,

Prin-

Principatus dignitatem, plurimi facio. Solem, eiusq. radios Aquilinus intuitus securius sustinet, clarius cernit; cernes & tu; Deo præstante, sapientiæ tuæ non caliginoso amplius oculo veritatis Solem, quem sincerè monstrauero. Nostræ sunt partes (Princeps Clarissime) quæ ad Christianam Religionem spectant, si quibus tenebris inuoluta putentur, lumine reuelationis diuinæ dilucidare, vacillantes confirmare, dubitantes stabilire, infidelesq. ipsos ad æternam salutem per Sacræ doctrinæ prædicationem, seu scriptionem vocare. Si speculum tenebricosum putasses, illustratorem petere, non facere debueras; sic enim factum est, vt & intellectum tuum, & speculum ipsum densiori caligine obuolueris, & qui nomine illustrator censeris, sis verissimè obscurator. Lucem præbebo, qua tenebræ infidelitatis tuæ dubitationum tuarum dissoluentur, qua viam, quæ ad Cœli patriam ducit, quæ Christianæ Religionis veritas est, lucido cernas oculo, inoffenso pede percurras. Doleo quod Persicam Linguam non polleam, & si qui adsunt Interpretes in nostrum sermonem adeo obscurè tua verba verterunt, vt difficillimum sit ex his, quæ asseris nonnulla percipere, cum reliquorum sensum penitus impossibile sit adipisci. Si Græcè, si Latinè, si Hebraicè, Arabicè, Chaldaicè,

si quocumque alio notiori Idiomate scripsisses, nihil deesse poterat, quod vltrò desiderare posses; quæ percepi, ea prout in me fuit, dilucidaui, quæ non percepi, vt clariori donentur stylo, obnixè deprecor, quo plenius respondere possim. Cœterùm ne dùm pro tua salute, sed (quod sanctius est) pro tua, totiusq. istius Regni, quod olim tot Martyrum, tot Sanctorum meritis floruit, conuersione, & veræ Fidei agnitione, supplices ad Deum preces effundo, cuius patrocinio fisus, hac Sacrosancta doctrina, te instruere cupio, & ad Christi gregem perducere. Libenter igitur libellum perlegas, quem nonnisi ex Christianæ charitatis debito, & salutis tuæ ardentissimo Zelo, libentissimè offero. Vale.

Fr.



Fr. Felix Franceſchinus Caſſianus Doct. Theol. Vniuerſi Ord. Min. Conu. S. Franciſci Miniſter Generalis.

D*llucidatio Speculi verum monſtrantis* diligentia, & labore Patris Magiſtri Fr. Bonauenturæ Maluaſiæ Bononienſis noſtri Ordinis compilata, & P. Mag. Fr. Franciſci Antonij Blundi de Sancto Seuerino Seraphici Collegij noſtri de Vrbe Regentis examine comprobata, vt quemadmodum dilucidatis fidei veritatibus, ad maiorem Dei gloriam verè publicè colluceſcat, præſentium robore vt prælo committatur licentiam concedimus, & elargimur. In fidem &c. Romæ 1. Iunij 1628.

Fr. Felix Generalis.

Fr. Franciſcus Iannoctius Capran. Secr. Ord.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sacri Pal. Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

EX mandato Reuerendissimi Patris Magistri Felicis de Cassia totius Ordinis nostri Min. Conu. Ministri Generalis. Ego Fr. Franciscus Antonius Blundus à S. Seuerino Doctor Theologus, & Collegij Romani S. Bonauenturæ Rector, ac Regens, quo potui diligentiori iudicio perlegi librum ab Adm. R. P. Fr. Bonauentura Maluasia eiusdem Ordinis Artium, ac Sacræ Theol. Doctore compositum, cuius titulus est, *Dilucidatio Speculi verum monstrantis &c.* in quo omnis veritatis splendor candidissimè ostenditur; vt vel hoc ipso Auctoris pietas, ac doctrina in Constantissimæ fidei puritate elucidatæ veriùs appareant. Quare illum à me accuratè examinatum, vt iustum omnium Maumeticæ sectæ errorum iudicem, ac vindicem reperio, sic ad maiorem Christianæ Reipublicæ incolumitatem, & incrementum typis mandandum censeo. Datum Romæ die 30. Maij 1628.

Ita est ego Fr. Franc. Ant. à S. Seuerino, qui sup.

EGo Hieronymus Florauantius perlegi librum hunc Reuerendi Patris Bonauenturæ Maluasiæ, & nihil in eo reperi contrarium fidei, aut bonis moribus, quare sentio vtiliter posse in lucem edi. Romæ die 1. Iunij 1628.

Hieronymus Florauantius.

Imprimatur,

Fr. Hiacynthus Lupus Socius Reuerendissimi P. Fr. Nicolai Rodulfij, Sacri & Apost. Pal. Mag. Ord. Præd.

TOTIVS LIBRI PRINCIPALIORA
Capita præmittuntur.

INDEX, QVAE PER CAPITA
in hoc Volumine tractantur.

Ex Sanctiss. Trinitatis tractatu.

Ex admirabilis Incarnationis tractatu.

Absque

AR-

ARGVMENTVM OPERIS

Quo scribendi occasio, intentio, & finis exponitur.

SCRIPSERAT, pauci ab his sunt anni, pius quidam Christianæ fidei nostræ Zelator, & cultor, idiomate Persico de Religionis huius Sanctissimæ Sacris dogmatibus eruditum, omnique pietate refertum libellum, eo consilio, vt hac doctrina, veluti cœlesti voce, vel Persas ipsos ad veram fidem vocaret, cui hunc affixerat veridicum titulum, ***Speculum verum monstrans***; ***Speculum*** siquidem, quod omni candore præditum, ***verum*** absque vlla falsitatis nota, absque vllo blandimenti fuco demonstrans. Liber ad Persas peruenit, perlectus est, nec omninò suo desiderio fraudatus est scriptor; excitauit etenim Deus, seù potius suscitauit animum Hamet Principis apud ipsos doctissimi, vt quarundam difficultatum, quæ circa proposita emergebant librum conscriberet, eumq. ***Illustratorem***, seù ***Politorem*** appellaret, Speculi ipsius veritatem, infidelitatis suæ tenebris potius denigrare, quam

revera

reueraillustrare cupiens: Scripsit, & cui Romam pro responsione afferret, librum dedit. Aduenit tandem, multoq. labore, ac tempore idiomatis Persæ sensus collectus est, obscurè adeò, adeoq; concisè, vt nostro Sermoni redditus, partim vix percipi possit, partim omnino non possit. Hinc ad responsionem ventum est, qua Speculi veritas dilucidetur, & ipse, totumq. Regnum hac instructione ad veram fidem perueniat. Multa sunt quæ petit, multa circa quæ errat, sed potiora hæc sunt. Sanctissimæ Trinitatis mysterium, admirabilis Incarnationis Sacramentum, Euangelij Sacrosancti veritas, ac fidelitas; & eo tandem grauiori errore corripitur, quo Maumetum, suæ sectæ auctorem, Paracletum esse asseuerat. Hoc opusculo errores eius conuellam, atque difficultatibus in contrarium satisfaciam. Ea semper tamen Christiana pietate, atque modestia, vt Doctoris potius, seu illustratoris, vel pedagogi, quam aduersarij, vel respondentis vices obire arbitrer. Hoc Christianum, hoc fidelem maximè cum erudito infideli decet. Faxit Deus, vt dum errores hos piè redarguo, cor eius illustretur, conuertatur animus, intellectus captiuetur in obsequium fidei, totamq. Persiam hoc vno precone (quæ sua est misericordia, & pietas) ad sese pertrahat benignissimus generis nostri Saluator Christus.

DE

DE SANCTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO.

TRIA sunt vitiorum genera, quibus homines fidei contemnentes initium, immaturo, ac peruerso rationis decipiuntur amore. Quidam enim sunt, qui de corporalibus rebus per sensus corporeos experta nouerunt, ac ab illis ad incorporeas iudicium transferre volunt. Sunt & alij, qui secundum spiritualem sentiunt creaturam, hoc est, secundum animam, cumq. de Deo disputant, sermonibus suis fallaces effingunt regulas. Sunt tandem & alij, qui nec corporis, nec animæ trahuntur iudicio, de Deo tamen falsam fouent opinionem, eoq. à vero remotiorem; quo id, quod sapiunt, nec in corpore reperitur, nec in condito spiritu, nec in ipso Creatore. Sæpè sæpius animo meo voluens, & librum tuum (Princeps Inuictissimè) maiori, qua potui diligentia, perlegens, te primis duabus decipi vijs depræhendi, peruerso rationis amore falli, ac de excelso Creatore in multis malè sentire. Doleo summopere, te virum, nobilitate excellentem, moribus illustrem, gestarum rerum gloria clarum, Imperio magno præditum, pluribusq. naturæ dotibus eminentem, non incedere vijs Domini, non nosse mandata eius, non esse in lege sua:

compatior tibi, & tuorum, qui tecum pereunt, subditorum, infelicitatem deploro. Nec te credo libenter errare, cuius indolem bonam esse confido, cum multa præcipuè de Deo nobiscum sentias. Hæc enim, vt arbitror, tibi, nobisq. communia sunt; lex Iudæorum, veraces Moyses, Dauid, Salomon, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, cæteriq. Prophetæ Domini; sentis, (& rectè) Deum esse vnum, æternum, increatum, necessarium, Omnipotentem, Sapientem, bonum, altissimum omnium creaturarum, supremumq. Dominum. Concedis hæc omnia, & magis, ac magis in futurum, quæ Christiana religio profitetur, te confessurum fore, si altitonantis oraculo, ac infallibili Christianæ veritati, benignum præbebis auditum. In quibus igitur discordamus? audi, in aliquibus in veteri, in omnibus ferè in nouo testamento dissentimus.

Quid sentiat Hamet de veteri testamento.

Non conuenimus in veteri, quia pluribus tui libri locis, præcipuè numero primo, secundo, tertio, ac quarto totis viribus Sanctissimum Triadis mysterium negas, quod ex Sanctorum Prophetarum, Scripturarum pariter vaticinijs nos colligimus; tu Deum Patrem, & Filium in diuinitate negas, Nos vtrosque confitemur; tu Spiritum sanctum à Diuina maiestate reijcis, nos illum ponimus, & has tres veneramur personas.

Dissentimus in nouo: clarissimum enim Dominicæ Incarnationis mysterium, quod nos profitemur, abnegas omninò, & quod peius est, Maumettum summum, verumq. prophetam, ac Paracletum prædicas, quod nostræ obsistit religioni. Hic est inter te, & nos dissensionis fomes, hæc præcipua, quibus aberras mysteria. Et quamuis in tuo conscribendo libello, nullum seruaueris ordinem (quod maximi faciendum erat, cum ordinis defectu confusioni sit locus) ipse tamen vt facilius,

cilius,

cilius, quæ ſcribo percipias, diſtincto procedam ordine, ac primo de altiſſimo Trinitatis myſterio, deinde de diuini Verbi Incarnatione, tertio denique de Euangeliorum concordia, ac veritate verba faciam, ex quorum myſteriorum quolibet tuas paſſim colligam, & ordine diſſoluam difficultates. In vno te rogo, vt cum hæc legeris, ſi aliquid non benè dictum inuenies, locutionem meam, non fidem, repræhende. Simul itaque ingrediamur charitatis viam, vt eum, qui nec falli, nec fallere poteſt, pariter attendamus. *Ordo ſeruandus in toto opere.*

De Admirabili Trinitatis Myſterio.

QVINQVE, breuibus tamen, capitibus Sacroſanctum hoc, ac ineffabile diſtinguo myſterium, quorum primum quid de Trinitate in ſe, ac de eius attributis ſit ſentiendum, quomodo generationem Filij, ac Spiritus ſancti proceſſionem nos aſſeramus, quidue de ſingulis perſonis ſit affirmandum, & earum præcipua compræhendet attributa. *Diuiſio tractatus.*

Secundo oſtendam haud vllum in hac mortali vita degentem abſque fide, & reuelatione poſſe tale, ac tantum compræhendere myſterium.

Tertio naturalibus exemplis, & congruentijs poſſe hominem in huiuſmodi myſterij, licet imperfectam, educi notitiam, præmonſtrabo.

Quarto ex veteri, quod admittis, Teſtamento, Sanctiſſimam Trinitatem comprobabo.

Quinto denique, tuis ſubtiliſſimis in oppoſitum rationibus, ſatisfaciam.

CAPVT PRIMVM.

1 INter præcipuas difficultates, quæ animum tuum inuoluunt erga inſeparabilem Trinitatem, illæ præcipuæ ſunt, quibus Patris, Filij, ac Spiritus ſancti æqualis in vna natura diuina à Chriſtianis comprobatur diuinitas. Perarduum enim, & ferè impoſſibile tibi videtur, plures perſonas æqualem ſibi ſortiri deitatem, vniformem in vnica natura ſupremam ſibi obtinere maieſtatem, multiplicari perſonas, & non multiplicari Deos, augeri ſubſiſtentias perſonarum in vna diuina eſſentia, eademmet eſſentia non augmentata. Nec nobis nouus eſt hic tuus ſcrupulus, qui pridem multorum fatigauit ingenium; Sed ne terrearis, quoniam qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, denſas harum difficultatum caligines, quæ tuum obtenebrant intellectum, benignè eijciet, ſi & tu benignè, non arguendo, ſed pro tua ſalute diſcendo, quæ inferius adducam percipere velis; Attende igitur.

Quomodo intelligendum ſit Deum eſſe Trinum.

Quando, Princeps Clariſſime, Chriſtiani lumine fidei innixi Sacroſanctam nominant Trinitatem, illamq. confitentur, venerantur, & adorant; eam intelligunt hoc pacto. Non quod Trinitas ſit triplex, quia id ſignificat proportionem aliquam inæqualium, neque Trinitas trina, quia ſignificaretur eſſe nouem perſonas, ſed dicitur Trinitas, id eſt, Deus Trinus per tria ſuppoſita, quæ in illa maieſtate diuina exiſtunt, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, nec iſti ſunt tres Dij, vt Maumettus falſo opinatus eſt, ſed ſunt vnus Deus, vnius eiuſdemmet eſſentiæ, ac ſubſtantiæ, quæ multiplicari non poteſt, li-

Falſa Maumeti imaginatio erga Trinitatem.

cèt

cèt multiplicentur ſuppoſita; ſuppoſitum enim de ſui natura eſt incommunicabile, non ſic autem natura diuina, cuius perfectionis eſt abſque ſui diuiſione pluribus ſuppoſitis communicari. Hoc tibi per difficile videtur, rationi tamen eſt conſonum quod varijs in naturalibus apertiſſimè declaratur exemplis, inter naturam diuinam, & humanam prius differentiam afferentes.

2 Differt naturà creata ab increata, quia illa pluribus vtique per identitatem communicatur ſuppoſitis, hoc tamen fit cum ſui diuiſione, ac diſtinctione; natura vero diuina, quia eſt ſummè infinità, pluribus diuinis per identitatem commmunicatur ſuppoſitis, ſed ſine ſui diuiſione, ac diſtinctione; nec mirum eſt, ſi huiuſmodi Sacramentum viribus naturæ percipere nequeamus, quia ſemper aſſueti ſumus his naturis corporalibus, & materialibus, quæ tantummodo cum ſui diuiſione pluribus communicantur, ac propterea lumine ſupernaturali, & fide indigeamus. Audi igitur exemplum hoc animæ intellectiuæ. Anima rationalis, quia eſt illimitata ad perficiendum partes corporis, non eſt determinata ad perficiendam vnam partem tantum, id eſt, caput, manus &c. ſed poteſt perficere caput, manus, cor &c. ex hac illimitatione, ex ſui natura habet, vt abſque ſui diuiſione, & extenſione omnes partes corporis perficere, ſiue per ſe, ſiue per accidens valeat. Hoc autem, quod eſt perficere plures partes corporis ſine ſui diuiſione, eſt maximæ perfectionis in anima noſtra, quia ſolius animæ rationalis, non vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ, eſt priuilegium. Auferamus modo ab anima intellectiua id, quod eſt imperfectionis, vt eſt, quod ſit formatiua materiæ, & ponamus, quod abſque tali informatione det eſſe. Auferamus pariter illas

Quod differant natura creata, & increata.

Explanatio Animæ intellectiuæ comprobatur Sãctiſſima Trinitas.

illas partes, quæ recipiunt esse, & esse partes, quia esse partes est imperfectio, demusq. ipsas esse quædam entia per se subsistentia, quæ per animam rationalem, suum habeant esse formale, tunc remanebit forma habens perfectam vnitatem, & dans totale esse subsistens, & sic erit vna natura totale pluribus suppositis distinctis dans esse. Hoc pacto philosophandum est in diuina essentia, quæ quia est penitus illimitata, cum sit infinita, & quia ab ipsa omnis imperfectio aufertur, propterea nulla repugnantia inuoluetur, quin dare totale esse pluribus diuinis suppositis realiter distinctis, absque sui diuisione, valeat.

Et primo ordine quoddam dicitur esse in Patre, in omnibus tamen reperitur æqualiter. Vt facilius percipias hæc, quæ dixi, exemplum tùm in Sole, cùm in anima intellectiua, in illo tanquam in causa efficiente, in hac tanquam in causa formali, libenter accipe.

Causa efficientis definitio.

Causa efficiens est illa, quæ plures potest ordine quodam producere effectus, vt Sol potest illuminare peculiari quodam ordine plures partes medij, illuminando scilicet prius viciniorem sibi, postmodum alias per ipsam; Omnis huiusmodi causa duos sibi primos habet effectus, alterum primitate immediationis, alterum primitate adæquationis; primus est illuminatio illius partis medij, quæ sibi est proximior, qua illuminata, lumine ad alias partes mundi per illam ordinati, diffunditur; alter vero effectus primitate adæquationis est totum medium, siue totus mundus illuminatus. Si ergo quæras; vndè determinetur Sol ad illuminandam primam partem medij, siue ad producendum effectum primitate immediationis? Respondeo, hoc ex sui natura intrinseca sibi competere.

3 Alterum exemplum est in genere causæ formalis.

Anima

Anima intellectiua informat multas partes distinctas corporis ordine quodam, vt cor, caput &c. vnde totum corpus est eius primus effectus primitate adæquationis, cor tamen est primus effectus primitate immediationis, quia primo sic informat Cor, deinde alias corporis partes. Si ergo quæratur, vnde primo anima determinetur ad informandum Cor, & non caput? Respondetur, quia ex se sic determinatur. Hoc idem ad diuinum intellectum transferentes asserimus in essentia diuina, quæ est quidem in omnibus personis, in prima tamen est ex se, in alijs vero per primam, in qua non ita determinatur, quasi quod propter illam determinationem omnimodam includat adæquationem, & ad cæteras personas determinari nequeat.

4 Ad excludendam autem quaternitatem in diuinis, scias essentiam diuinam nec generare, nec generari; generans enim, & genitum realem inter se sortiuntur distinctionem, cum nihil seipsum gignat, atque ideo cum diuina natura in tribus sit indistincta suppositis, ac omnimodam in eis habeat identitatem, nec gignere nec gigni potest. *Essentia diuina nec generat, nec generatur.*

Hæcq. essentia diuina ita diuinas respicit personas, vt primo terminetur ad personam Patris, vt dixi superius, quia Pater essentiam habet à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtraque, & ly primo, nullam dicit prioritatem, cum vna persona non sit senior altera; in ente enim necessario, vt tuis vtar terminis, non nisi æternitas reperitur, vnde ly primo, ordinem quendam ad esse in tribus diuinis personis insinuat, pro quanto in Patre essentia est incommunicata, in Filio per generationem, & Spiritu sancto per processionem; hocq. fit nostro tantum concipiendi modo.

Veneramur nos igitur Christiani, & adoramus hanc Sān-

Sanctiſſimam Trinitatem ſemper ſubſtantialem, inaſpectabilem, incompræhenſibilem, impartibilem, inalterabilem, æternam, indiuiſam, ſimplicem, omnis partis, omniſq. compoſitionis, corporis, quantitatis, qualitatiſuè expertem, eodem honore, eadem gloria, eadem Deitate pollentem, nulli, neque tactui, neque contactui obuiam, omnis figuræ exortem, infinitè bonam, lumen defectionis neſcium, trilucem, ſuperſplendidam, ſemper pari virtute omnia intuentem, omnibus præſentem, illuminata & exiſtentia omnia, tam in eſſe, quam in bene eſſe conuenienter, prout cuiuſq. natura fert, conſeruantem, in rebus ſubſiſtentibus & non in ſolis, nudiſq. nominibus cognitam, vna diuinitate, pari potentia æquali regni maieſtate glorificatam. Itaque Deum Patrem adoramus; Deum Filium veneramur, & Deum Spiritum ſanctum honoramus; Deus enim eſt terminus ſignificans naturam diuinam, vt eſt nata prædicari de his tribus, ita quod adæquatè prædicatur de tribus perſonis, quæ licet proprietatibus perſonalibus ſint inter ſe diſtinctæ, vnum tamen diuinitate ſunt omnes. Hoc ſenſu (Princeps ingenioſiſſime) nos Chriſtiani intelligimus Trinitatem, eamq. ſupradictis attributis præditam adoramus.

Attributa Sanctiſſimæ Trinitatis.

Trium autem hypoſtaſeon, quas in Trinitate conſideramus; ſunt, vt dixi, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

De perſona Patris.

5 DEVM Patrem, pro comperto habe, omnes Sacras literas confiteri, & eius nomen Paternitatem refert; & ſi Filium dicimus, Patrem negare non poſſumus, cum vnus alteri relatiuè opponatur,

natur, quod extremorum coexiſtentiam probat, hoc igitur Patris nomen quid nouum non eſt, caret initio, nullum ſuæ exiſtentiæ principiũ habet, nec aliunde eſt, ſed à ſe ipſo, ac in ſe perfectiſſimo fruitur eſſe, atq; ita vt per Filij generationem, ac Spiritus ſancti ſpirationem nullam acquirat perfectionem, nec aliquid, quod ad eius eſſe pertineat eſſentiale, ſeu perſonale, omniaque, quæ in illo ſunt, ſunt ipſemet Pater. Ipſe tantum prædicatur ingenitus, & innaſcibilis, vtpotè ſi plures poſſent eſſe innaſcibiles, eſſent de facto, cum in ente neceſſario, vt tuis terminis vtar, idem ſit eſſe, ac poſſe; repugnant autem illi plura eſſe, ſic enim infiniti admitterentur innaſcibiles, idq. ſuadet ratio, qua non neceſſaria pluralitas ſemper ſit effugienda, vnde nec ad intra vlla neceſſitas, nec ad extra ratio apparet, qua plures innaſcibiles fateri cogamur. Hæc vero, ità eſt æterni Patris propria innaſcibilitas, vt de Filio, & de Spiritu ſancto dici nequeat. Conſtituitur Pater in eſſe Patris per Paternitatem, Filius per Filiationem, & Spiritus ſanctus per Spirationem paſſiuam, nec vllus vnquam diſtinctus, ac ſeparatus in eſſe reali, & eſſentiali ab altero exiſtere valet, hancq. primam perſonam eſſe fontem, radicem, originemq. totius Deitatis, aſſerimus, & Deum, cuius eſt Verbum, nominamus Patrem, qui eſt vna voluntas, vna maieſtas, increatus, immenſus, æternus, Omnipotens, & omnium Dominus, vti Filius, & Spiritus ſanctus, quibus in omnibus omnino, quæ ad diuinitatis eſſentiam pertinent, eſt coæqualis. Hæc de perſona Patris, nunc quæ de Filio agenda ſunt aggrediamur.

Pater, & Filius relatiuè opponuntur.

Pater eſt fons Deitatis.

De persona Filij.

6 OBSCVRA hæc, quæ dicturus sum de Filio tibi videbuntur, at si voles, præsto erunt; qui lumen afferant, & apertissimè omnia reddant. Varia sunt nomina, omnia tamen verissima, quibus secundam Sanctissimæ Trinitatis personam appellamus, & declaramus.

Nomina secūdæ personæ Sanctissimæ Trinitatis.

Dicitur primò Filius, quod veteri Testamento expresse docemur: Dauid siquidem eum huiusmodi nomine declarat, dum Psalm. 2. de eius loquitur generatione, summiq. Patris personam effingens, inquit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc idem in Prouerbijs innotescit 3. Quod est nomen eius, & quod nomen Filij, si nosti? Appellatur deinde Verbum, & merito, vt non aliqualis seminis, sed defecatæ intelligentiæ vi conceptum, genitumq. doceamur, hocq. nomine duobus in locis Dauid ostendit, Psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & 44. Eructauit cor meum verbum bonum. Nominatur 3. Sapientia id, quod expresse habetur in veteri Testamento, Prouerb. 8. Loquendo sapiente in Spiritu de æterna Dei Sapientia, qua Filium recensemus. Nondum, inquit, erant abyssi, & ego iam concepta eram, iterum, Ego in altissimis habito &c. Alijs etiam eadem persona, tum in veteri Testamento, tum in nouo, (quod non recipis) illustratur nominibus, quod nempè sit magni Consilij Angelus, Candor lucis æternæ, Speculum sine macula, Imago Patris. Adhucq. & alijs, quæ, ne videar prolixior, prætermittam. Non est igitur, vt putas, quid fictè, in Sanctissima Trinitate excogitatum hoc Filij nomen, qui Filius principij non est expers

pers, cùm æterna generatione ſit ex patre. Quod generationis nomen rectè, & iuſtè fatemur in diuinis, nam tribus veteris Scripturæ locis clariſſimè confirmatur. Ex Dauid 1. Ex vtero ante luciferum genui te, Ex vtero, de mea ſcilicet ſubſtantia genui te, non aliunde; At ne de Salomone loqui arbitreris, ante, inquit, Luciferum, ante quem nemo fuit; genui te. Idem Propheta æterni Patris perſonam diſſimulans; Ego, inquit, hodie genui te, hodie, inquit, non heri; ſcilicet in inſtanti æternitatis, nec enim præteritum, nec futurum tempus admittit. Hoc idem Iſaias vaticinatus eſt: Generationem eius quis enarrabit? Generatur itaque Filius de ſubſtantia Patris, non quaſi de materia, quæ potentialitatem (à Deo omnino puriſſimo actu reijciendam) inuoluit, ſed de ſubſtantia; nempe de eſſentia.

Ex veteri teſtamento dari generationē in diuinis apertiſſimè colligitur.

7 At ſi generationis modum exquiras, benignum quæſo præſtes auditum. Duo tantum in diuinis eſſe principia productiua, intellectum ſcilicet, & voluntatem, non eſt ignorandum, nec his plura eſſe poſſe, vel pauciora, ſi enim poſſent eſſe, de facto eſſent, cum eſſe & poſſe ibi ſint idem, vt dictum eſt de innaſcibilitate Patris; Filius producitur à Patre per intellectum: Pater enim intelligens ſuam eſſentiam, ac omnes creaturas in eſſe poſſibili diuinum generat Verbum, non ex carnali coniugio, aut humano complexu, ſed ex corde Dei, id eſt intellectu, nemo enim tam rudis, tam vecors, tam demens Chriſtianus eſt, qui generare Deum ex connubio, & permixtione arbitretur; non ſumus adeo habetes Chriſtiani, vt tantum nefas admittamus, nos enim Deum Spiritum puriſſimum eſſe aſſerimus, incorporeum, & immortalem, qui dum ſe ipſum intelligit in mente ſua Verbum concipit,

Modus, quo Filius à Patre producitur aſſignatur.

quod nos Dei Filium esse asserimus; nec aliud est in Deo seipsum nosse, atque intelligere, quam Deum esse, nihil enim est in Deo, nisi ipsemet Deus.

Durum, ac perarduum hoc tibi videtur, sed ne terrearis; Attende enim hanc naturalem similitudinem in nobis, si intellectum tuum in hac diuina generatione in obsequium fidei captiuare nequis, sine qua tam absconditum mysterium intelligere non valemus. Quemadmodum enim creatura rationis particeps, dum se ipsam, vel alia obiecta considerat, speciem quandam, notitiamvè sui, vel aliorum intra se format, quod Philosophi Verbum conceptum appellant: sic planè mens illa increata, ac mirè fœcunda, expressam imaginem eiusdem secum omninò naturæ, æterna sua comprehensione gignit, quod sanè Verbum creatum hoc nostrum tanto superat interuallo, quanto mens ipsa diuina corpus, creaturam Creator excellit, mentis enim createç Verbum accidens est, non substantia, non persona, non infinitum, non immensum, non denique Filius; at Dei Verbum isthęc omnia; Accedit, intellectum nostrum Verbum producere ex indigentia, non enim intelligeret, nisi Verbum produceret: Non sic æternus Pater, sed ex plenitudine & fœcunditate suę memorię. At ex tuis principijs colligo hanc diuini Verbi æternam productionem, nam pluribus tui libri locis primum efficiens intellectualis esse naturæ, ac agens liberum affirmas, ideoque in ipso dari talem productionem confiteri deberes, vbi enim est principium, quod de sui natura sit productiuum, dummodo non sit impeditum, vbicumque ponatur in sua perfectione naturali relictum, semper productiuum est, & cum in Deo, per te, detur tale principium, sequitur, quod producat aliquid, non accidens, quia per te

non

non datur, ergo substantiam, & non seipsum, quia nihil seipsum producit, ergo Filium per intellectum, & Spiritum sanctum per voluntatem; alias intellectus & voluntas essent perfectioris entitatis in nobis, in quibus sunt principia productiua, quam in Deo, cuius summa perfectio est, se summe, ac infinitè communicare. Respice & hanc aliam similitudinem. Cernis Solem hunc corporeum, qui noctem abiens, & diem efficit rediens, hic à se ipso lucis producit radios, hęc productio generatio quędam est in Sole, & radij Solis Filij Solis non inconuenienter vocantur. Quę similitudo licet sit multifariè inepta, nam Solis sępè plures vidimus radios, & Dei tantum vnicus est Filius, in eo tamen conuenit, quia vna est Patris, & Filij diuinitas, ac substantia, de qua Filius, vt dixi, generatur, ac producitur productione, ac generatione, quę dicitur actiua in Patre, quia producit: & passiua in Filio, quia producitur.

8 Nec, vt aliqui falso putarunt, de nouo natus est dicendus, loquendo de hac æterna generatione, noua enim Natiuitas tempus pręsupponit, Filius autem est Patri coęternus, sicut splendor, qui gignitur ab igne, est eidem coęuus, ac coęternus, si ignis ęternus esset; quapropter, si splendorem glorię neges, tolle simul, & primam lucem, cuius est splendor. *Scilicet Ariani.*

Est cum Patre, quamuis sit à Patre, eadem essentia, eadem magnitudo, vna veritas, vnaq. Sapientia, sed simul cum Patre, Filius enim non ad seipsum, sed ad Patrem refertur, cum quo simul, cum Spiritu sancto est increatus, immensus, ęternus, omnipotens, bonus, omniumq. creaturarum tàm visibilium, quàm inuisibilium Supremus Dominus.

Et hic Filius ità est Filius, quod non possit dici Spiritus

ritus sanctus, nec è conuerso, licet ambo sint de eadem natura, Filij namq; generatio est per modum naturæ, naturaliterq. producitur, ac proinde eius productio est generatio, quia est propagatio, seu originatio naturalis, cum habitudo, quæ est inter Patrem, & Filium, quorum alter est producens, alter vero productus sit naturalis, quia producit principio naturali inclinato, ad agendum; non sic dicendum est de processione Spiritus sancti producti per voluntatem, vt infra videbimus. Hactenus de persona Filij, nunc de persona Spiritus sancti aggrediamur.

De Spiritu sancto.

9 OLIM multorum Christianæ veritatis inimicorum dementia fuit, negando scilicet Spiritum sanctum esse verum Deum, tertiamq. Sanctissimæ Trinitatis fore personam, at illorum impius error semper detestabilis fuit, ac à Deo iure punitus, quapropter, caue (Princeps Clarissime) ne sequaris cæcos, ne in te adagium illud commune verificari valeat: Si cæcus cæcum ducit, amboq. in foueam cadunt, sed tuos tam mentis, quam corporis libenter aperi oculos, videq. Spiritum sanctum pluribus in locis sacræ Scripturæ veteris Testamenti (omissis auctoritatibus noui Testamenti à te neglecti) fuisse proclamatum.

Habemus apud Iob 33. Spiritus Domini fecit me, & spiraculum Omnipotentis Dei viuificauit me, Spiritus fecit hominem, Spiritus, itaque Deus, Deus enim hominem fecit.

Dari Spiritum sanctum probatur ex Scripturis.

Item in Psal. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum &c. Quis, te rogo, est hic Spiritus, nisi Deus? Quis totum repleat orbem, nisi Deus, cuius Cælum

Sedes

Sedes eſt, & terra Scabellum pedibus eius? ac proinde ſępius ſcripſere Poetæ Deum omnes circumire terras, tractus maris, profundumq. Cælum, ob id enim ſcripſit Dauid: Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Non eſt locus fugæ, quia Spiritus Domini per eſſentiam, & præſentiam, vbique reperitur: at cuinam, niſi Deo vbique eſſe tribuitur? replere, ac continere mundum? Deus itaque Spiritus ſanctus eſt, nec Spiritus ſancti nomen quid fictum eſt, aut nouum, à fidelibus inuentum.

Idem Pſalmographus: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et alio in loco ſpiritus tuus bonus deducet me &c.

Item 2. Regum c. 23. Hæc ſcilicet verba nouiſſima, quæ dixit Dauid Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam, dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael dominator hominum; quo in loco clarè conſpicis illum ipſum, qui dicitur ſpiritus Domini eundem dici Deum Iſrael.

Iſaias 61. Spiritus Domini ſuper me, propterea vnxit me; Iterum ecce Puer meus, quem elegi, ponam ſuper eum ſpiritum meum.

Hæc eadem veritas ex ipſomet Alcorano pluribus in locis manifeſtè apparet. in ipſo enim hęc adamuſſim habentur verba: Dixit Deus Maumet. Tibi quidem, qui legem, & librum ignorabas, noſtrum ſpiritum mittentes, lucem præhębuimus. Iterum cum hoc tibi diuinitus miſſo, ſpiritus benedictus penitus iuſtus, cor tuum penetrauit, vt cum eo caſtiges Arabicè.

Et alibi. Ipſe namque Deus, & eius ſpiritus benedictus, hunc Alcoranum veraciſſimum librum compoſuerunt: Ex hac auctoritate infero: ſed hic ſpiritus benedictus non poteſt dici creatura, & miſſus ſpiritus non

eſt

est à se ipso missus, nec sunt plures dij ex eodem met Alcorano ergo sequitur tertiam esse in diuinis personam, à Patre, & Filio missam, ab ipsisq. distinctam, vt colligitur ex illis verbis, Deus, & Spiritus eius hunc librum composuerunt.

10 Sed quod spiretur, atque à Patre, & Filio procedat, diligenter attende, benignumq. prçstes auditum. Sicuti Deum Patrem suam essentiam intuendo Verbum diuinum concipere, iam dum de Filio loquebamur, explicauimus; ità nunc dicendum est, quod cum inter Patrem, & Filium mutuus Amor, ad hoc vt sit iocundus, procedens à voluntate, intercedat, naturaliter enim Pater amat Filium, pariterq. diligitur à Filio, præsertim cum vterque sit infinitæ bonitatis, necessario necessitate immutabilitatis producunt amorem, qui cum non sit accidens, vt de Verbo dictum est, erit substantia, & cum substantia producta sit persona, illa erit tertia in Sanctissima Trinitate à Patre, & Filio realiter distincta, & hoc pacto in diuinis reponuntur personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, non igitur hæc nomina diuinarum personarum sunt fictitia, vt numero quinto, & septimo primi capitis arbitraris.

Modus quo Spiritus sãctus à Patre Filioq. procedit, traditur.

11 Est itaque Spiritus sanctus Deus verus, omniumq. bonorum dator, solus bonorum operum remunerator, Paraclitus, veritas infallibilis, supremum donum, fons bonitatis, æternorum bonorum thesaurus, nostræ imaginis reformatio, mentis perfectio, animæ instauratio, interni hominis nostri lumen, Lucifer in pectoris Cçlo, incommutabilis, imperscrutabilis, incomprçhensibilis, impartibilis, increatus, immensus, æternus, Omnipotens, verus amor, supremum bonum, omniumq. creaturarum, tàm visibilium, quàm inuisibilium, çquè, ac Pater, & Filius, quibus in his, quç ad diuinitatis essen-

Attributa Spiritus sancti.

essentiam pertinent, est omnino coęqualis. Vt tandem hoc caput absoluam, proprietatibus tantummodo distinctiuis, & personalibus omnes personas inter se distinguimus. Vnam tantum in eis diuinitatem statuentes, nam etsi ob vnitatem essentiæ nequeant separari, personarum tamen rationibus, mentisq. conceptu diuiduntur, ad inuicem. Tres itaque personæ sunt, vnus tamen Deus est, Trinitas in personis, Vnitas in substantia; vnus Deus Pater, ex quo omnia, vnus Filius per quem omnia, vnus pariter Spiritus sanctus, in quo omnia, vnus omnes, ex tribus tamen vna perfectissima, & secundum se maximè absoluta diuinitas Deiq. natura. In hunc igitur modum Christiana Religio, diuino collustrata splendore, tres distinctas in diuinis confitetur, & admittit personas, vnam tamen Deitatem adorat. Hac igitur ratione Deum Trinum, & vnum adoramus. Parum tibi est Deum colere, sapientem, bonum, Omnipotentem, æternum esse, confiteri, dum Verbum, & Spiritum sanctum ignoras, at ex hoc prouenit, & vtinam, ne fallerer, quia in te ipso Deum habitantem non habes, non habes granum Synapis in te seminatum, non habes inappretiabilem margaritam, id est, Christianam fidem, & tandem non habes thesaurum Spiritus Dei, in te latentem, & qui Spiritum Dei non habet, hic non est Dei. Et hæc satis de primo Capite. Secundum aggredior.

CAPVT II.

12 NVlla Gens tàm fera, tàm immanis, ac barbara vnquam fuit, quæ aliquam Dei notitiam, id est, quod sit, non habuerit, nullus enim tàm imprudens rerum, tàm mentis inops reperitur, qui terram, mare,

cælum, quæque horum ambitu continentur non pergat oculis collustrare, qui Solis interdiu pulchritudinem, magnitudinem, efficientiam, noctu deinde Lunæ, luminum varietatem crescentis, senescentis ac mirè res immutantis, Stellarum præterea, quas vagas dicimus, motus incitatos, retardatos, insistentes, astrorum inerrantium vim, distinctionem, multitudinem, aliaq. id genus in natura mirabilia contemplans, qui statim aliquem supremum efficientem, siue Deum esse, non consentiat. Sed quale sit hoc efficiens, qualisve sit iste Deus, mentis Angelicæ, nedum humanæ captum longè superat. Quanto enim diutius Deum consideramus, tanto nobis res videtur obscurior. Vnde asserere possumus quid non sit scimus; quid autem sit ignoramus. Quapropter ad lucem hanc inaccessibilem, sicut ad Solem noctuæ omnes ferè mortalium mentes cæcutiunt, ac miserè hallucinantur; quapropter varij hanc supremam maiestatem indagantes, in varios inciderunt errores: Iudæi siquidem, qui se eruditores insipientium profitebantur, Trinitatis thesaurum in veteris Testamenti agro absconditum non inuenientes, diuinitatem in vnam personam contraxere.

Multorum errores circa Dei notitiam.

Gentiles vero, qui curiosè nimis de Deo Philosopharunt, in Deorum cateruas prolapsi sunt: Diuisio Religionis humanum genus in duos populos diuidebat, & vt vterque in vnam conueniret Trinitatis declarationem, opus fuit, vt vitiosa Iudaismi extremorum, & Paganismi semita interclusa, media veritatis via Christianismus incederet.

Christiani tantūmodo de Deo benè sentiūt.

Hoc peculiare (Princeps) Christianorum fuit priuilegium, quibus iustitia Dei ex fide in fidem reuelata est, de Deo scilicet vno, vero, & Trino in personis,

in

in cuius cognitione, & fruitione hominis felicitas posita eſt; quo enim lumine illuſtrati inſeparabilem confitentur Trinitatem? fide; quo auxilio, quæ ad coniunctam, diſcretamq. Theologiam ſpectant omnibus intrepidè aſſentiuntur? fide, fide inquam; quæ Chriſtianos ità in altum ſubuexit, vt quæ de prima illa, ac puriſſima natura, humana ratio non percipit, mundana Philoſophia non ſapit, ſingulari ipſius munere percipiunt; non enim per illam duplicem cognitionem, quam quælibet Philoſophica ſchola tradit, à priori videlicet, & à poſteriori diſtinctam aſſequi poſſunt cognitionem, qua mediante, humanus intellectus ad cognitionem cuiuſcumque obiecti euehitur.

Per fidem habemus cognitionem Sanctiſſimæ Trinitatis.

Non à priori: potentiæ ſiquidem ſenſus, & intellectus naturali ordine ita ſubordinatæ ſunt, vt intellectus operari non valeat, niſi ſenſitiuæ potentiæ præceſſerit operatio, quod cum probatum remanet ex Philoſophico communi illo axiomate; nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, ſenſus autem non ſe profundat vſq; ad ſubſtantiam rei, quare nullam ſubſtantiam naturaliter, & à priori attingere poſſumus: Verum ſi inter ſubſtantias, multæ ſenſibiles, & materiales, multæ vero ſenſibilibus & materialibus carentes, reperiuntur, illaſq. cognoſcere non poſſumus: quomodo naturali lumine ducti Deum vnum & Trinum cognoſcere valemus? cum Deus à ſenſibilibus & materialibus remotiſſimus ſit, actuſq. puriſſimus exiſtat, nullam prorſus admittens compoſitionem? Certè hoc aſſerere potiùs eſt dementis, quam ſapientis.

A priori non habetur Sãctiſſimæ Trinitatis certa cognitio.

Et ſi fidem rationi non adhibes, experientiam accipe, quæ rerum omnium eſt doctrix, ex qua eluceſcet lumen naturale ſequentes, Deum verum, & Trinum non cognouiſſe, ſed falſos adoraſſe

Deos, ſicque in varios, diuerſoſque incidiſſe errores.

Et ad Gentilium ſectam primo deuenientes, nonne dæmonia ipſi coluerunt, & colunt, quæ omnia vitia, & homicidia, libidines, latrocinia eis proponunt, & ſuadent? Gens certè mendax, & profana, etiam apud Maumettum.

Pagani, vt Maumettani ad Dei cognitionem fortaſſe peruenerunt? Non; pro Beatitudine enim gulam, & libidinem expectant, beatitudo certè infamis, ac ab Auicenna, qui fuit illius ſectæ, deſpecta, aſſerente lib. 9. ſuæ metaph. cap. 7. Alium finem præſtantiorem, & nobiliorem eſſe homini conſtitutum, id eſt, coniunctionem hominis cum prima veritate. Sectarum aliarum vitia, & ſcelera recenſere blaſphema, nimis eſſet; non igitur à priori, lumine merè naturali, intellectus ſenſibus alligatus, in cognitionem Sanctiſſimæ Trinitatis peruenire poteſt.

Neq; à poſteriori habetur determinata cognitio Trinitatis.

Sed neque à poſteriori, & ex effectibus ipſius Dei, niſi per congruentias, & exempla, vt videbimus, Arcanum hoc Trinitatis myſterium percipere poſſumus. Vnicam enim verbi gratia, numero naturam in vnico ſolummodo reperiri ſuppoſito, & non in pluribus per effectus Dei diſcurrentes, fateri debemus; quare arguendo ex effectibus ad cauſam Dei naturam, quæ eſt vna numero, in vnico tantummodo reperiri ſuppoſito aſſerere, & non in tribus deberemus: En quomodo hic effectus potius in errorem, quam in diſtinctam Trinitatis cognitionem hominis conducit.

13. Sed ſi ex aliquo peculiari effectu intellectus humanus ad hanc certam cognitionem peruenire valeret, hoc maximè eſſet per hominem, qui cum Deo maximè ſimilitudinem habet, cum ad eius Sacroſanctam

fa-

fabricatus sit imaginem, sitque ineffabilis Trinitatis imago. At neque per ipsum huiusmodi cognitionem habere potest; inter Philosophos enim alij fatentur se nescire quid sit homo; alij quid sit dubitant; alij ab homine animam separant, animamq. non reddere, sed corpus; alij hominem æternum esse; alij homines primo in Attica natos, alij in Aegypto; alij hominum generationem, aut ex ouo, aut ex verme initium duxisse; alij marem, & fœminam simul eductos fuisse; alij prius mares ex terra pullulasse ad Orientem, & meridiem, fœminas vero ad Septentrionem, & secundum alios, mares ad boream, fœminas ad Austrum; alij hominem ex diuersis animalibus ortum duxisse asseruerunt; alij animal infelicissimum; alij felicissimum esse, testatum reliquerunt: quæ omnia, quam sint absurda, quam à veritate dissona, proprio tuo ore confitere: quare si homines lumen naturale sequentes effectus Dei, & illos præcipuè, qui in Dei vnius, & Trini cognitionem conducunt, ignorant; quomodo ad ineffabile hoc mysterium per determinatam, & certam cognitionem peruenire valebunt? at certè ex effectibus ignotis in cognitionem ignotissimæ causæ, vti est Deus, vnus, & Trinus, deuenire non possunt.

Multorum ignorantia circa hominis cognitionem.

14 Et nedum lumen præcisè naturale obseruantes, hominem ignorant, sed & alios effectus, propterea quod inter Philosophos fuit, & est, maximum dissidium, perpetuaq. pugna, de rerum videlicet, omnium principio, de causis, & principijs rerum naturalium, de constitutione mundi, de fine, vnitate, magnitudine, figura, materia, & forma ipsius. cum igitur lumen naturæ attendendo, in rebus, quibuscumq; cognoscendis, tanta inter Philosophos versetur discordia, ex effectibus in cognitionem Dei, vnius, & Trini, deuenire

ne-

nequimus, sed lumen supernaturale, & ineffabile, fidei scilicet, & reuelationis necessario prærequiri asserendum est.

Confirmatur. Cognitio enim per naturale lumen habita de aliquo obiecto habet euidentiam ex obiecto, cognitio autem Dei vnius & Trini, talem euidentiam non habet, quia nec ei assentimur, nisi per fidem, cum sit merè credita. quarè &c.

Accedit: omne medium demonstrationis in rebus naturalibus esse, vel causam, vel effectum, intellectus autem humanus per vllum illorum haud cognoscere potest; Pater enim æternus verbi gratia nullam habet causam, vt Pater sit, & consequenter, nec Filius talem causam habebit, cum aliud principium præter Patrem non habeat, hocq. idem à proportione asseritur de Spiritu sancto; neque per effectum, cum omnes effectus creati procedant à Deo, vt vnus est, non vt Trinus. Præterea qui Trinitatem personarum naturali ratione probare nititur, fidei nostræ dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem fidei, quæ est, vt sit de rebus inuisibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Secundo quantum ad vtilitatem infidelium, cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium, credunt enim quod huiusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus, quod mendacium inuoluit. Mecum ergo conclude, quod cum ad habendam Sanctissimæ Trinitatis cognitionem, duo assignentur modi, vt vnus illorum non sufficiat, necessario per alium modum huiusmodi cognitio debet attingi, cum autem per lumen naturale, vt ostendunt supradictæ rationes, huiusmodi cognitio non sit possibilis, per lumen supernaturale haberi,

Qui Trinitatē probare nititur fidei nostræ derogat.

beri, remanebit; Et cum nihil tam ab humano intellectu remotum ſit, quam quod vna prorſus diuinitas in tribus hypoſtatibus reperiatur; nihil tàm in Philoſophia inauditum, quàm quod geniti, & ingeniti vna, eademq. natura omnino ſit; nihil tam à ſenſibus alienum, quam diuinarum hypoſtaſeon citra confuſionem, & mixtionem intima, & ineffabilis conſuetudo; remanebit, vt hæc omnia fide auſcultemus, credamus, obſtupeſcamus, & admiremur. Hæc de ſecundo Capite.

CAPVT III.

SVmmum humanæ gloriæ faſtigium (Princeps inuictiſſime) præclara itidem ſors à diuina maieſtate in nos, à cæteris animantibus ſeparatos, defluxit, cum ſummæ illius Celſitudinis, ac dignitatis aliquod quoque in nobis veſtigium extet, & quaſi ſimulacrum in terris; vnde ità omnia numerum affectant ternarium, illumq. amplectuntur, vt auctorem ſuum ineffabilem Trinitatem, quæ cuncta fecit, in pondere, ac menſura, acclamare videantur, quæ varijs in humanis præfulgent exemplis, & congruentijs, quas, quævè non proſequar longior, ſed illas tantum indicaſſe ſufficiet, ne fidei noſtræ fundamentum, ac ineffabilem Sanctiſſimæ Trinitatis veritatem, in huiuſmodi rationibus, videar collocare.

Varijs explicationis probatur Sanctiſſima Trinitas.

15 Primum itaq; ſit in anima noſtra exemplum, nonne quæſo in temet comprobas experientia, Dei vnius, & Trini Simulacrum, ac imaginem? qua igitur id in Deo denegare poteris ratione? nonne omnes in creaturis repertas perfectiones, omni prorſus remota imperfectione, Deo tribuere debemus? nulli quidem du-

Exemplo animæ intellectiuæ probatur.

dubium, quicquid enim in nobis est boni, à Deo est. In Deo ergo necessario omne id est, quod nos habemus, eminentiori tamen, ac perfectiori ratione, omniq. seclusa imperfectione; nam cum némo det, quod non habet, nisi Deus perfectissimo modo habuisset id, quod nos habemus, nobis quidem tribuere minime potuisset; Cum itaque Deus hominibus talem contulerit perfectionem, vt in ipsis vnitatis, & Trinitatis reperiatur imago, aliquid scilicet vnum in substantia, Trinum vero in perfectionibus: in Deo pariter huiusmodi perfectionem, eminentiori, ac modo perfectiori collocare debemus. Vt vero Deus vnius, & Trini imaginem in homine reperiri comprobemus, hæc referam.

Nisi quis à veris, certisq. aberret principijs, animam rationalem in homine esse, nemo est, qui possit negare, hæc autem secundum veritatem, & experientiam in se includit perfectionem, per quam notitiæ, & amoris est productiua, intellectum scilicet, & voluntatem, perfectiones quoque retinet, secundum quas notitiæ genitæ, & productæ est receptiua, sicuti & amoris producti, quæ idem intellectus est, eademque voluntas, intellectus enim notitiæ genitæ est receptiuus, voluntas amoris producti. Prædictæ tamen perfectiones ad tres reducuntur; intellectus enim, & voluntas quatenus sunt principium productiuum reducuntur ad vnam: intellectus quatenus genitæ notitiæ est receptiuus, ad aliam reducitur: voluntas denique quatenus amoris producti receptiua, ad tertiam. Cum prædictis perfectionibus substantialiter anima est idem, & sic consubstantialitas ostenditur; & quia notitia genita, & amor productus realiter à prima distinguuntur perfectione, à qua originantur, quæ potest

test dici memoria perfecta, cum vtramque amplectatur fœcunditatem, Trinitas demonstratur.

Imperfecta modo ab ijs, quæ perfectionem præseferunt, separemus; hoc enim pacto, veram in diuinis cum Trinitate, vnitatem habebimus manifestè.

Imperfectionem dicit esse productiuum amoris, & notitiæ, quæ sint accidentia, ac eiusdem amoris, & notitiæ esse receptiuum, est enim producentis imperfectio, esse imperfectum producere, nec posse attingere terminum substantialem, ac sibi similem, sed solum accidentalem. Item versari circa obiectum accidentale in entitate, & perfectione finitum, ac limitatum esse, & receptiuum, quod sit imperfectum, & ex recepto indigeat perfectione: est pariter imperfectio.

Quis vnquam erit, qui memoriæ fœcundæ, vtramque scilicet amplectenti fœcunditatem, perfectionem audebit Deo denegare? Et si in creatis datur productio, erit forte in diuinis principium productiuum, & non productio? absit; tunc enim illud principium suum non valeret attingere terminum, quod creaturis non denegari ipsamet docet experientia. Cum ergo intellectus, & voluntas reperiantur in creaturis, & in illis principia sint productiua, vt iam explicuimus, in Deo etiam reperiri, & in eo principia esse productiua, omni seclusa imperfectione, necessario est asserendum. Hæc itaque cum ita sint, attendas quæso, quo pacto in diuinis sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Prima productio competit intellectui. Naturalis est, & dicitur generatio, cum requisitis ad generationem perfulgeat conditionibus, nam per huiusmodi productionem simile producenti in natura producitur per naturale principium; necessario ergo debet in diuinis ge-

nerans, & genitum admitti, Pater, & Filius. Productio autem intellectui competens talis est conditionis, vt per ipsam naturaliter simile producenti in natura producatur, vt dixi, & clarius ex his patet.

Cum principium productiuum, intellectus scilicet, naturale sit, tunc non nisi naturaliter producere potest, quia verò intellectus diuinus est infinitus, (finitum enim, & limitatam non datur in diuinis) circa illud obiectum infinitum, essentiam videlicet diuinam perfectissimè operatur ipsum intelligendo, cum omnibus quæ scientia simplicis intelligentiæ cognoscuntur, in ipsa repertis. Ex qua cognitione, cognitione perfectissima, & compræhensiua perfectissima producitur notitia, quæ accidens esse nequit, tunc enim non esset perfectior ea notitia, quæ à nobis est producta, nec esset ab intellectu infinito circa obiectum infinitum operante: erit igitur substantia, non finita, & limitata, cum nihil tale in diuinis ponatur, infinita ergo, & illimitata. cum autem substantia sit infinita, erit per se subsistens in nullo recipi apta nata; erit Deus, cum nihil infinitum sit extra Deum, quoniam vero talis notitia naturaliter producitur, & similis producenti, quod est pariter Deus, dicitur ob id notitia genita, Verbum, seu Filius, qui à Patre est.

In diuinis ergo, & generans, & genitum, Pater scilicet, & Filius admitti debent, & quod vterque sit Deus; nam Pater deitate est Deus, licet paternitate sit Pater, & quia producendo Filium eandem numero deitatem, ac omnia, quæ habet præter esse Patris Filio communicat, propterea Filius deitate est Deus, licet per filiationem sit Filius. Ità similiter de Spiritu sancto asserendum est, nam Pater, & Filius eadem numero voluntate gaudentes producunt amorem, qui

cum

cum sit substantia infinita, vt supra dictum est, erit persona per se subsistens, & consequenter Deus per deitatem sibi communicatam, eritq. Spiritus sanctus per spirationem passiuam, & quamuis in vnaquaque persona sit duplex illa assignata subsistentia, essentiæ scilicet & personæ, non tamen adest ibi compositio, vel aggregatio propter perfectissimam identitatem, quam habent ad inuicem illæ subsistentiæ, sicuti superius dictum fuit. Non igitur possibile est necessarium nec è conuerso, sicuti tu dicis; necessarium dicitur, quia nihil possibile ibi ponitur, & deitas eadem numero in qualibet reperitur persona.

18 Ex Trinitatis imagine in nobis impressa, non liceat tibi ea tantum in diuinis ponere, quæ ponuntur in nobis, nec eodem modo, in multis enim nostra deficit imago, & in multis est imperfecta. Deficit quidem, quia inter producentem notitiam, & amorem, ac inter ipsam notitiam, & amorem, non intercedit in nobis consubstantialitas, sicut intercedit inter Patrem, & Filium, ac Spiritum sanctum, nec in productione amoris, notitia nostra simul producit cum eo, qui iam produxit notitiam. Item amor, & notitia sunt accidentia. In multis itaque nostra deficit imago, & propterea imperfectionem dicit, quæ omnino sunt à Deo reijcienda; si tamen ex imagine nostra vnitatem in diuinis, & Trinitatem volueris arguere, facillimè hoc assequi poteris, dum veram & explicatam doctrinam, relicta pertinacia, Deiq. vnius, & Trini, implorato auxilio, attentè fueris animo complexus.

19 Aliud in homine reperitur exemplum, quo valeat Sanctissima ostendi Trinitas; Anima, corpus, & vitalis calor, quæ sunt sua inter se natura distincta, in vnicam tamen hominis, concurrunt hypostasim.

In Iride pariter Deus Trinus, & vnus clarè conspicitur, vt enim in Iride trium colorum discrimina clarè cognoscimus, alterius tamen ad alterum dissidium sensu percipi nequit, & sicut in vna nubis substantia Solis repercussa radio, floridus, qui cernitur color multiformis est: sic in eadem diuinitate tres hypostases constanter asserimus, quod diuinus ille vates testatur Ezechiel primo dum se, hominem in trono sedentem conspexisse, & aspectum splendoris per gyrum, sicut aspectum arcus, qui fuerit in nube in die pluuiæ, vaticinatus est.

Explicatio Iridis.

Sunt alia plura ad vnitatis, & Trinitatis rationem explicandam, aduersus eos, qui naturalibus rationibus fidem sibi fieri volunt, non contemnenda exempla. Hæc autem pro nunc sufficiant. Ad congruentias deueniendo.

Congruentiæ quibus Sãctissima comprobatur Trinitas.

Prima congruentia est. Summi, & infiniti boni est se summè, & infinitè communicare, in creaturarum autem productione non summo, ac infinito modo se Deus communicauit ideo &c.

Secunda. Perfecta beatitudo compræhendit omnia bona, & vnum quidem insigne bonum æqualium est personarum consortium.

Tertia. Generare sibi simile est perfectio, cum autem sit Deus vndequaque perfectus, hanc etiam perfectionem complecti debet, ergo &c.

Quarta. Melius est ab æterno Deum aliquid produxisse, quam fuisse otiosum, ideo &c.

Quinta. Non repugnat vnam naturam in vna hypostasi reperiri, vt in quolibet Angelo, plures in pluribus, vt in multis Angelis; plures in vna, vt in homine, in quo duæ naturæ, anima, & caro, vna spiritualis, corporalis altera, in vnam conueniunt hypostasim huma-

manam, non ergo repugnabit, vnam esse in pluribus naturam diuinam, hypostatibus, hoc est in Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Sexta. Ex vno eodemq. auro tres similes fieri annulos non repugnat, quamuis connexi sibi referantur ad inuicem, quod similes sint, quod enim est simile, alicui simile est, & Trinitas annulorum est, vnum tamen aurum. In diuinis ergo pariter non repugnat, vt ex vna, eademq. substantia diuina, tres sint personæ, vnum tamen sit aurum vna scilicet substantia. Similitudo tenet. Quare &c.

Vnum quidem tecum confiteor, comparationem terrenarum, & humanæ naturæ ad Deum nullam esse, nec ad res diuinas explicandas humanam elocutionem sufficere posse, nostræ tamen intelligentiæ infirmitas cogit species quasdam ex inferioribus, tanquam superiorum indices quærere, vt rerum familiarium consuetudine admonente, ex nostri sensus conscientia, ad insoliti sensus opinionem edoceamur; propterea hæc tibi in humanis exempla, atque congruentias, quæ ad infallibilis Trinitatis cognitionem ducunt proposui. Hæc de tertio Capite &c.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium ex Veteri Testamento astruitur.

CAP. IV.

SI Doctores tui, studiosissime Princeps, ea diligentia Sacros Moysis libros, & Prophetarum dicta, ex quibus Mahumetes, & Halij vestrum Alcoranum maiori ex parte collegerunt, perscrutarentur, qua Alcorani dogmata continuo ruminantur, pro-

proculdubio non tam mirareris Sanctissimæ Trinitatis mysterium, quam Doctorum tuorum superficialem intelligentiam, nec eas ipsi speculo offudissent maculas, quas se tergere indoctè profitentur.

Probatur Sãctissimæ Triadis mysterium Sacræ Script. auctoritatibus.

20 Primo. Lege quæso prima verba veteris testamenti, inuenies statim mysterium Sanctissimæ Trinitatis; sunt autem hæc: בראשית ברא אלהים :

Hoc est, in principio creauit Dij cælum, & terram; si creauit, quomodo Dij, & non Deus? si Dij, quare creauit, & non creauerunt? creauit ergo vnus propter vnitatem naturæ; Dij vero propter pluralitatem personarum.

21 Secundo. Genes. 1. faciamus inquit, Deus hominem secundum imaginem, & similitudinem nostram; cum quibus, te deprecor, consilium habebat Deus? non cum hominibus, quia nondum erant, non cum Angelis, propter quod non sunt Creatores, ad quod est infinita virtus: quapropter sequitur Deum locutum fuisse ad coopificem Filium, & Spiritum sanctum ac ideo, & Deus Pater, dicit Deo Filio, ac Deo Spiritui sancto faciamus hominem ad imaginem nostram, & non dixit, meam, & vestram, neque tuam, significans tres esse personas, homines creantes, sed vnam imaginem, id est vnam naturam, ad cuius similitudinem homines creandi erant.

Tertio. Iterum & cap. 11. habetur; Venite descendamus, & confundamus illorum linguas, dicendo, venite pares honores exhortando vocat. Quos quæso alloquitur Deus? non homines, neque Angelos, non enim illis dicere debuerat, venite, sed imperando, ite, sequitur ergo alloqui Filium, & Spiritum sanctum.

Quarto. At clarius Moyses in Deuteronomio c. 6.

hoc

hoc ineffabile mysterium ostendit, inquit enim, Audi Israel Dominus Deus noster. Deus, vnus est; Trina hac voce Deus, Deus, Deus, repetita, Sanctissimam Trinitatem insinuat, & per illam, vnus est, Diuinæ essentiæ vnitatem manifestat. Quod autem in eisdem verbis per triplicatum Dei nomen, tres diuinæ designentur personæ, Pater, videlicet, Filius, & Spiritus sanctus clarè conspicitur, in lingua enim Sancta hoc idem sonant, vnde secundum Rabbi Symeon Ben Iohai, & Rabbi Ibba sic legitur. Audi Israel, hic est, ò Israel, antiquus, id est Deus, qui est principium omnium rerum, antiquus antiquorum, omniumq. rerum perfectio, & dicitur Pater אלהינו Elohenu, id est Deus noster, profunditas fluminum, & fons scientiarum, quæ procedunt ab illo Patre; & Filius vocatur יהוה, id est, Deus, hic est Spiritus sanctus, qui à duobus procedit, & vocatur mensura vocis. Vnus est, vt vnum cum alio concludat, & colligat, neque enim alius ab alio diuidi potest, & propterea ait, שמע Scema, id est, congrega Israel hunc Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, cumq. fac vnam essentiam, vnamq. substantiam, quia quicquid est in vno, est in alio, totus fuit, totus est, totusq. erit.

22 Quinto. Item Exod. 3. alloquens Deus Moysen sic ait, ita dices Filijs Israel, Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos; in eo enim quod ter dixit Deus, personarum Trinitatem expresse insinuauit. In eo autem, quod semel dixit Dominus, nec miserunt, inquit, sed misit: diuinæ naturæ vnitatem demonstrauit.

Sexto. Disce, & Seraphin hymnum ter clamantium, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus exercituum,

plena

plena est omnis terra gloria eius. In eo, quod ter dicit Sanctus, tres personas diuinas expresse designat, quod per Rabbi Symeon Ben Iohai, & Rabbi Ionathan Ben Vziel apertè comprobatur, sic enim habent, Sanctus, hic est Pater, Sanctus hic est Filius, Sanctus hic est Spiritus sanctus. In eo autem, quod post tria illa nomina, Sanctus, Sanctus, Sanctus immediatè semel dumtaxat ponitur nomen Dei, Iehouah, id est Deus, per quod diuina essentia importatur, clarè innuitur tres illas personas, non tres Deos, sed vnum Deum esse.

Septimo. Item Propheta Dauid, vt Trinitatem personarum in diuinitate nobis ostenderet, ter Deum prouocat in benedictione dicens Psal. *66*. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus & metuant omnes fines terræ, vbi in eo, quod ter ponitur Deus trium personarum diuinarum designatur distinctio. In eo autem, quod secundo tantum: loco adiungitur noster, solum Filium per nostræ naturæ assumptionem nostrum fore insinuabatur. In eo postremo, quod metuant eum omnes fines terræ, & non eos dicitur, ipsarum personarum vnitas, quoad naturam, atque identitas ostenditur.

Octauo. Idem Propheta Psal. 49. De hoc Sacratissimo mysterio sic loquitur, Deus, inquit, Deus Deus locutus est, & vocauit terram, quamobrem memoratur nomen Dei Sancti, & benedicti tribus vicibus? nisi vt doceamur, quod his tribus nominibus Deus Sanctus, & benedictus, mundum creauit iuxta tres Midoth, id est proprietates, quibus mundus creatus est, quæ sunt scientia, sapientia, & prudentia, vt habetur Prouerb. 3. Dominus in sapientia fundauit terram, & ibidem in notitia, vel scientia abyssi erupe-

runt,

runt, & alio in loco, & prudentia ornauit cælos. Hæ etsi plures proprietates nomine videantur, re tamen non sunt nisi vna, qua creatus est mundus, vt intelligas tres esse personas, vnam tamen esse naturam.

23 Nono. Vide & tres pueros in camino ignis omnes creaturas, & facturas Dei, vt ipsum glorificent prouocantes Solem, Lunam, Stellas, Cælos, Angelos, virtutes &c. & nunquam Filium, & Spiritum sanctum inter creaturas connumerant; quod si contendas, ex eo quia Iudæi erant, ignorarunt Spiritum sanctum mox repræhenderis ab eadem Scriptura testante. Erat enim quartus quasi similitudo Filij Dei; & de Spiritu sancto sic loquitur, excitauit Deus Spiritu sancto suo puerum adolescentem, cui nomen Daniel &c. quaproter Sanctissimam Trinitatem confitentes certò sciuerunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnius esse Deitatis, & potentiæ.

Decimo. Accedit: Exod. 34. cap. sic habetur: Domine, Domine, Domine miserator, & misericors, si Trinitas non est, cur ter dicitur, Domine, Domine, Domine, si vnitas non est in Trinitate, quare dum tertio dixit Domine, postea in singulari numero, misericos, & non miseratores, vt plures ostenderet intimauit?

Vndecimo. Hoc idem confirmatur dum strenuum ducem Moysem alloquitur Deus, dicens. Videte, quod ego sim solus, & non sit Deus præter me; vbi textus Hebraicus sic habet, videte nunc, quia ego, ego, ipse, & non sunt Dij mecum, vbi apud hebræos hæc tria ponuntur nomina, Ani, Ani, Hu, quæ, ego, ego, ipse sonant, per tria illa diuina nomina tres personæ designantur diuinæ, vnitas designatur, dum asserit, & non sunt dij mecum. Hæc de quarto Capite.

CAPVT V. ET VLTIMVM.

24 SAtis, ſuperq. eſt iam exploratum, quibus, in ijs, à quibus te alienum oſtendis noſtra nitatur Religio, fundamentis: nunc tantum ſupereſt, vt leuibus, quibus es vſus inſtantijs, ſatisfaciam compendioſè, ita tamen, vt quam parui ſint ponderis facile poſſis cognoſcere, ſi quæ in primo Capite dixi, ac ſum infra dicturus, perſpexeris diligenter.

Soluuntur rationes in contrariũ.

Colligitur ex num. 2. Ad primã.

Quod eſſentia diuina, exiſtentia, ac eſſentiæ attributa vnius, & eiuſdem ſint ſimplicitatis, ac vnitatis, arguendo deducis; augmentari eſſentiam, proindeq. integram minimè fuiſſe. Ex quibus hanc habes concluſionem præmiſſis? Ex Chriſtianorum fortaſſe placitis? non. ex Chriſti enim fidelium aſſertionibus, Deum, aut eius eſſentiam de facto augmentari, vel de poſſibili colligere non poteris vnquam; Deum namque perfectiſſimum, nec vllam deſiderare perfectionem, nullam acquirere in tempore, nec acquiſiuiſſe: ſed quicquid habet, habere ab æterno, nec poſſe vllam temporis aſſignari differentiam, in qua aliquid non habuerit, quod poſtea ſit aſſecutus, ex Chriſtianis ſemper inferetur aſſertis. Si itaque Deus de nouo nunquam eſt quicquam adeptus reale, quod ei fuerit ſuperadditum, ſed ab æterno obtinet omnia, ac cum omni eo, quod in ſe eſt perfectiſſimam habet identitatem, cum aliquali tamen diſtinctione (quod, & quo pacto primo Capite luculenter explicaui, & inferius abſoluam, eoq. libentius, ne, vt tibi mos eſt, fictis vtaris argumentis, ac proinde quomodo Deus perfectiſſimè ſit idem cum omni eo, quod eſt in ipſo, percipere nequeas) nemo iuridicè erit, qui Deum, vel

eius

eius essentiam augeri, & integram non fuisse ab æterno iusta possit ratione, aut sine chimerica deducere speculatione.

25 Nihil autem est, quod asseris, nisi poterit augmentum suscipere, nec tres esse poterunt existentiæ, pariformiter enim alioquin tres essent essentiæ, & naturæ. *Ex eodem numero. Ad secundam.*

Nos namque non admittimus plures in diuinis existentias absolutas, nam tunc plures, etiam quodammodo naturas concederemus, fatemur tamen plures subsistentias, quarum vna diuinæ competat essentiæ, quam dicimus absolutam, nec per illam aliud intelligimus, quam completam per se existentiam, quæ nullum desiderat complementum, cuilibet etiam diuinæ personæ propriam competere relatiuam subsistentiam affirmamus, cum quælibet persona relatiua in esse personali per relatiuum constitutiuum, sit constituta, vt latius alibi supra. quam subsistentiam hoc modo acceptam, distinctæ rationis, ob essentiæ subsistentiam intelligimus, cum per subsistentiam personalem incommunicabilem intelligamus existentiam, essentiæ vero subsistentiam absolutam communicabilem asseramus, cum igitur essentia sit absolutum, existentia relatiuum, quæ inter se compositionem non faciunt, sed absolutam cum absoluto, tunc diuinæ simplicitati non repugnabit.

26 Nec ex multiplici in diuinis subsistentia, qua supra explicaui ratione, inferre liceat quaternitatem, nec auferre simplicitatem. Illæ namque subsistentiæ relatiuæ cum absoluta subsistentia idem sunt perfectissimè realiter scilicet, & essentialiter, eo prorsus modo, quo personæ, & essentia pariformem sortiuntur identitatem, licet ratione distinguantur, quia essentia diuina, *Ad tertiā.*

siuè subsistentia absoluta ratione suæ infinitatis, omnia sibi realiter, & essentialiter identificat, atque ideo non datur quaternitas, nec diuina tollitur simplicitas, cum omnia, quæ sunt in Deo, ab eo realiter non distinguantur.

Has autem subsistentias necessarias esse, nemo est, qui dubitet, quicquid enim in diuinis reperitur, cum ab æterno sit, necessario ibi est, vt initio fuit ostensum, & ipse concedis, ex hoc autem tantum licet inferre plura in diuinis necessaria reperiri, non tamen realiter, nec essentialiter, quia est tantum ibi vnum necesse esse, vti est vna essentia, sed solum distincta formaliter, realiter enim, & essentialiter, quæ in diuinis reperiuntur, vnicum solummodo sunt necessarium, scilicet ipsemet Deus. Vnitas itaque non tollitur, sed optima seruatur ratione, nec in diuinis datur possibile, quod necessarium fiat, cum id, quod est in Deo, sit summè necessarium, vt sæpius dictum est.

Ex dictis etiam euidenter innotescit, tres personas diuinas eandem numero essentiam, & naturam habere, quæ in qualibet persona est infinitè perfecta, atque ita, vt omnino dici non poterit vna persona in gradu maiori, illam habere, altera vero in minori. Præterquam essentiam, eiusq. subsistentiam, vna quæque persona personalitatem includit, ac propriam subsistentiam, quæ in diuina fundatur essentia, ac ab eadem pullulat; est enim diuina essentia infinitum quodammodo pelagus, in quo diuinæ pullulant personalitates secundum modum essendi sibi competentem, nempè incommunicabiliter, & cum maxima identitate cum eadem essentia, vt pluries supra explicauimus.

Ad quartū. Ex numero vndecimo. Spiritum sanctum vocari Filium

lium colligis, cum eius processio sit per similitudinem; & cap. 2. Eundem Spiritum sanctum Angeli nomen sibi sortiri probas.

Respondetur. Et licet dicta Spiritu sancti processio sit per similitudinem, quatenus diuina est, propriè tamen, & formaliter est per voluntatem, quæ non est per similitudinem. Et si aliquando: Angelus appellatur, ratione tantum immaterialitatis intelligitur, licet illam habeat à se, Angelus vero ab alio.

Ex eodem numero. Filium non debere dici scientiam Patris, quia scientia est idem quod substantia, impugnas. *Ad quintam:*

Respondetur. Si loqueris de scientia, vt est attributum, & de substantia, vt dicit essentiam, vtique scientiam esse idem quod substantia concedo, & sic Filius non dicitur personaliter scientia Patris: si autem loqueris de scientia notionaliter sumpta, & de substantia prout dicit personam, sic Filius dicitur scientia genita, & distinguitur formaliter à substantia, quæ est essentia, & à scientia, quæ est attributum, sicuti relatiuum in diuinis distinguitur ab absoluto, pro quanto illud est incommunicabile, hoc vero communicabile. Hæc ad tuas Difficultates.

27 Ex his autem, quæ hucusque dicta sunt has quinque propositiones, quas Christiana Religio, absque vlla mentis hæsitatione confitetur.

Prima. In diuinis datur vna Deitas, siuè essentia, siuè natura, quæ licet in se sit vna numero indistincta tamen, indiuisibilis, atque indifferenter reperitur in omnibus tribus dictis suppositis, Patre, Filio, atque Spiritu sancto. *Propositiones de fide ex mysterio sãctissimæ Trinitatis collectæ.*

Secunda. Non modo Pater, sed & Verbum, & Spiritus sanctus est vera, atque subsistens persona.

Ter-

Tertia. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus non vna persona sunt, quæ tribus illis nominibus diuersa ratione significetur; ſed tres distinctæ.

Quarta. Quælibet illarum Personarum eſt Deus.

Quinta. Persona Patris, aut Filij, aut Spiritus ſancti non per aliquam ſibi ſoli propriam eſſentiam eſt Deus, ità vt tres ſint eſſentiæ, ſicuti tres ſunt perſonæ, ſed vna prorſus eſt eſſentia, communis re ipſa iſtis tribus perſonis, ratione cuius omnes hæ perſonæ ſunt vnus, atque idem Deus.

Satis autem meo iudicio ea, quæ de Sanctiſſima Trinitate ad ſalutem tuam hucuſque propoſui, tibi erunt, ſi eo, quo ab Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, quatenus à Deo reuelata ſunt, proponuntur modo, pia credendi ſimplicitate receperis. Sunt etenim multa inexplicabilia myſteria, in quibus quieſcere intellectus hominis non poteſt, niſi confeſſa ignorantia, ideoque ſcriptum eſt. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ tibi præcepit Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus, ſunt enim nobis diuina opera admiranda, laudanda, extollenda; verum non ſunt ſemper, vel imitanda anxiè vel perfectè, vt intelligamus quærenda; nam ſi voluerimus vltra fidei noſtræ menſuram intelligere, ipſa eorum luce reuerberante animę noſtrę acies excęcabitur. Quicquid ergo ratio clamauerit, quicquid apparens probabilitas oſtenderit in hoc myſterio, non viribus noſtris, ſed reuelanti Chriſto credamus, qui cum Deo Patre, & Spirtu ſancto viuit, & regnat in ſęcula.

Amen.

De

De Admirabili Incarnationis Myſterio.

28 ABSOLVTO, ſimulq. pro viribus humanis, Altiſſimo Trinitatis Myſterio declarato, ſecundum vt pollicitus ſum de ineffabili Incarnatione, Deo præſtante, aggredior. In quo, te (Princeps Clariſſime) verè Sapientem, vereq. prudentem à ſupremo bonorum operum remuneratore toto corde expoſtulo; nè in te tremendum, ac formidabile illud Prophetæ dictum verificari valeat. Noluit intelligere, vt benè ageret, iniquitatem meditatus eſt in corde ſuo. Quid autem iniquius, quàm impia ſapere, & ſapientioribus, doctioribusq. non credere? Verumtamen in hanc tantummodo inſipientiam cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad Propheticas voces, ſed ad ſemetipſos feſtinanter recurrunt; vnde revera Magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli fuere. Caue ergo, nè & tu, qui præclaro præditus es ingenio vnus ex illis non euadas; ſed in veræ obſequium fidei tuum coneris captiuare intellectum; ſimulq. mecum in hoc tam admirabili Myſterio Charitatem, amorem, pietatem, Deiq. noſtri miſericordiam erga genus humanum pia mente contemplare, diuinisq. Prophetarum oraculis, Sacrisq. inſpirationibus liberum præſtes auditum. In vno tamen Chriſtiana pietate te admonere coactus ſum, nè ſcilicet vnquam in hoc tàm abſcondito opere hanc admiratiuam vocem *Quomodo*? corde vel ore proferre audeas; ineffabile enim, ac incompræhenſibile omnino exiſtit. Eſt enim ænigma Sacratiſſimum, quod ſumma potius veneratione eſt ſuſcipiendum, quam humani iu-

Summa huius admirabilis myſterij oſtenditur dignitas.

iudicij trutinæ ſubijciendum. Eſt nouum omnium nouorum, & ſolum ſub Sole nouum, per quod Dei apparuit virtus, bonitas, & ſapientia. denique eſt omnium operum, ac Dei miraculorum ſupremum miraculum, atque diuinum opus, quod nedum humanam, verum, & Angelicam omninò tranſcendit capacitatem. Quis enim quæſo, explicare audet, ſimulq. intelligere poteſt. Quomodo eadem perſona fuerit ſine mutatione bis genita? Quomodo Dei Filius ex Patre ſine Matre, ante ſæcula genitus? & quomodo ex Matre ſine Patre fuerit in tempore conceptus? Quomodo Virgo, nullo hominis opere exculto, ſed Spiritus ſancti virtute fœcundata, integra, & incontaminata perſeuerans, Deum abſconditum humani generis conſeruatorem, ac vindicem germinarit? Quomodo diſpenſatio in carne Domini facta ſit? Quare non Angelos, ſed ſemen Abrahę apprehendit? quomodo per omnia nobis, excepto peccato, aſſimilatus ſit? omnesq. defectus, qui ad naturam in communi pertinebant prouenientes ex peccato, non tamen inclinantes ad peccatum aſſumpſerit? Quid igitur mortalis homo de tanto myſterio proferre poſſit dignè, vt par eſt? Quo pacto ad tanti Sacramenti inueſtigandi modum, rationem, aut cauſam accedere Angelus ipſe non perhorreſcat? Si ipſa Angelorum Regina, cunctorumq. viuentium Mater Beatiſſima Virgo Maria, (quæ tantæ Sanctitatis, etiam apud tuum Maumetum ſemper fuit, vt illam ab omni labe, ac ſorde peccati immunem ſimul cum eius Filio prædicauerit. Hæc enim in authenticis Saracenorum libris Albokari, & Mezlim habentur verba:

Difficultas huius myſterij.

Dixit Ebiborayra, ſocius ſcilicet Maumeti, quod audiuit nuncium Dei, ſcilicet Maumetum ſic dicentem.

tem. Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangat Satan, præter Mariam, & Filium eius: Et infra: Multi perfecti fuere ex viris, nulla vero perfecta fuit ex mulieribus nisi Maria Mater Iesu.) totam huius diuini Verbi Incarnationis intelligentiam consequi non valuit? Sed potius admirabunda, non curiosè, sed humiliter exclamauit Dominus, Quomodo fiet istud &c. & quia in obsequium tanti mysterij suum captiuauit intellectum, Sacroq. Cælesti Nuncio benignum, se humiliando, præstitit assensum, propterea Sacer Dei Paranymphus humiliter illi subiunxit: Spiritus sanctus superueniet in te &c.

Conceptio Beatissime Virg. eiusq. impeccabilitas ex ipsomet Mat mete aperitur.

Hæc fecit Princeps, vt quia futura erat Doctrix, & Magistra hominum, sequeremur & nos omnes Sacrosancta eius vestigia, simulq. doceremur, hoc diuinum Mysterium absque fide, peculiariq. Spiritus sancti dono, humiliando nosmetipsos, haud quemquam percipere valere.

Hac igitur via, hocvè modo in huiusmodi mysterij intelligentia simul mecum perge, eodem prorsus ordine obseruato quem in Sanctissimæ Trinitatis mysterio obseruauimus; Itaut in quinque hic tractatus breuibus capitibus distinguatur, pariterq. absoluatur hoc pacto.

In primo. Possibilitatem, congruentiam, necessitatem, factumq. mysterij in se præmonstrabo quid sit Incarnatio, siue Deum incarnari, quomodo intelligendæ sint propositiones, quæ tot tenebris tuum obscurant intellectum, Homo est Deus, Deus est Homo, Deus factus est homo, Et verbum caro factum est, & similes, patefaciam.

Quis ordo seruetur in hoc tractatu.

In secundo. Neminem absq; fide, & peculiari Dei gratia posse in cognitionem huius mysterij peruenire.

In tertio. Varijs in humanis exemplis, congruentijs factum fuisse manifestabo.

In quarto. Ex veteri Testamento, Prophetarumq. vaticinijs illud comprobabo.

In quinto tandem. Tuis obscurissimis in oppositum difficultatibus, satisfaciam.

CAPVT I.

29 DE Christo humani generis reparatore verba facturus; de illo, inquam, qui inuisibilis in suis, visibilis factus est in nobis; vniuersalis Dominus, seruilem formam, obumbrata maiestatis suæ immensitate humiliter suscepit; de illo, qui cum impassibilis esset, non dedignatus est esse homo passibilis, & legibus mortis subiacere, humanamq. carnem assumere; verus tamen Deus remanens, verusq. homo, mihi primo sese offert perscrutandi occasio de ineffabili Incarnationis nomine, quid scilicet velit sibi hoc nomen Incarnatio, habito postmodum de re perbreui tractatu; hæc quatuor ex parte Dei in hoc admirabili mysterio pro viribus contemplans, nimirum, *Potuit, decuit, necesse fuit, & fecit.*

Quid significet hoc nomen Incarnatio.

Quoad nomen. Hæc vox Incarnatio, in ipso mysterio, quo *Verbum caro factum est*, fundata est: Incarnatio, scilicet Verbum in carne factum, nomen vero carnis in hac voce non excludit animam, sed ab ignobiliori parte integram humanam significat naturam, & hic est Sacræ Scripturæ vsus, vt Gen. 6. habetur. Omnis, quippe, inquit, caro, corruperat viam suam, vbi per nomen carnis, totus homo significatur, & non quæcumque caro, sed passibilis, & animata; nec eum hominem, vel partem humanitatis, humanitatem vniuer-

uersalem in abstracto assumpsisse adstruimus, sed totam humanitatem, scilicet principia constituentia hominem, formam consequentem compositum, ac tandem proprietates ipsum homines sequentes, affirmamus. Hicq. accipitur natura in atomo, scilicet in indiuiduo. Vnde propter hæc, & similia, congruentius fuisse Deum naturam hanc passibilem humanam, quam Angelicam impassibilem assumpsisse asserimus; tum quia homo magis indigebat, quia totus lapsus erat, tum quia minus indignus erat, quia per alium corruerat, cum etiam, quia plus ei proderat, quia adhuc in malo persistere nolebat. Nec propter hæc dicitur humanatio, vel incorporatio, licet huiusmodi nominibus posset appellari, vt Dei humilitas manifestius redderetur, qui personam suam imperfectiori parti hominis naturæ copulare voluit. Et dum naturam humanam Verbo diuino in vnitate suppositi vniri prædicamus, nil aliud adstruere intendimus, prætérquam naturam humanam, & naturam diuinam subsistere in eadem persona, quæ est persona Verbi, ac ideo vnio hypostatica, scilicet facta in persona, siue in hypostasi dicitur, idem enim persona latinè sonat, quod hypostasis græcè. Nec hoc Incarnationis nomen quid fictitium est, firmissimum enim in sacra Scriptura fundamentum habet, vt quarto Capite ostendam. Habita declaratione nominis, facilè, (vt more Philosophico incedam) erit eius veram definitionem inuestigare, quæ talis erit.

Incarnatio est vnio duarum naturarum in vnico supposito, humanæ scilicet, & diuinæ in supposito diuino, scilicet in Verbo. In qua definitione, & vnione quinque considerantur. Primum est humanitas. Secundum est Verbum diuinum. Tertium est actio, seu pas- *Quid sit Incarnatio.*

 sio,

ſio, vel mutatio, per quam hæc vnita ſunt. Quartum eſt terminus vltimus reſultans per hanc actionem, ſcilicet hic homo. Quintum eſt relatio vnionis inter extrema vnita; de quibus ſigillatim infra verba faciam, dum myſterij factum perpendam; pro nunc prima illa tria verba in principio Capitis poſita, Potuit, ſcilicet, decuit, neceſſe fuit, relicta omni animi ambiguitate, mecum perpende, hocq. tam admirabile myſterium confiteri. Et primo.

30 *Poſſibilitas Incarnationis oſtēditur.* *Potuit*; Nemo eſt (Princeps) in Philoſophorum Schola, tàm rudis, ac demens, qui ſubſtantiam ponere, & de facto ſuſtentificare accidens dubitet, ſicq. hoc negari nimis ne fas eſt, quis diuinum Verbum, cuius nutui omnia ſubiacent, cuius voluntati non eſt, qui reſiſtere valeat, ſuſtentificare non poſſe humanam naturam, eiusq. dependentiam admirabili modo, terminare audebit aſſerere? Tenet exemplum, ſemota tamen omni imperfectione ſcilicet informatione, & Deo Omnipotenti attributum quidquid imperfectionem non inuoluit.

Nec minus in hoc Sacratiſſimo nexu vllam ex parte perſonæ aſſumentis repugnantiam conſideramus. Si enim aliqua adeſſet repugnantia, repugnaret perſonæ aſſumenti, vel quia eſſet hæc perſona diuina, vel quia eſſet perſona vna ex tribus diuinis perſonis; nō ratione primi, quia ſi hoc eſſet, maximè quidem eſſet, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & vnam prorſus naturam conſequuntur diuinam, ſed hic non habet locum difficultatis, licet enim creare, iuſtificare, conſeruare, hancq. vnionem cauſare, & efficere à tota ſit indiuiſim Trinitate, illam tamen terminare proprium eſt ſecundæ perſonæ.

Non ratione ſecundi, quia ſi hoc daretur eſſet (ni fal-

fallor,) vel quia poneret in persona diuina compositionem, vel personalitatem, vel limitationem, sed non primum, quia natura humana non vnitur Verbo per modum actus, vel potentiæ, ratione quorum fit compositio. Non potentialitatem, quia in illo scilicet Verbo nulla adest relatio realis, quæ solum aliquam mutationem in subiecto facere potest. Non limitationem, quia remanet idem Deus Omnipotens, ac prius.

Ex hac vnione nulla in Persona diuina apparet limitatio, vel potentialitas.

potentialitas

Non est tandem repugnantia, & impossibilitas ex parte naturæ assumptæ, quia natura singularis prius natura est singularis, quam sit suppositata, & personata; vndè potuit Deus naturam suppositare, vt de facto suppositauit in persona Filij, cum in ea propter suam infinitatem possit fieri concursus plurium naturarum.

Ex dictis collige non esse tam arduum, ac difficile, vt asseris, tanti diuini mysterij ex quocumque Capite, vt iam probatum est, possibilitatem posse ostendi. Si enim Deus de non creante fit creans actualiter absq; sui mutatione, vel innouatione, sed solùm facta mutatione ex parte naturæ creatæ: cur persona Filij Dei, quæ non erat hypostasis humanæ naturæ in actu, eius esse hypostasis absque sui mutatione, innouatione, vel dependentia, habere non poterit? fuit enim similis reparatio, quomodo fuit, & hominis creatio.

31 At nedum *potuit*, sed & hoc admirabile mysterium fieri *Decuit*. Non quia Deo nostro commodum fuerit, quia bonorum nostrorum non indiget, vel consentaneum virtuti, seu propensioni eius naturali, quia diuinis illius operibus, nulla neque additio, nec diminutio fieri potest, sed hoc maximè illi congruebat ratione suæ diuinæ bonitatis, Sapientiæ, Scientiæ,

Congruentia Incarnationis.

ce-

cęterorumque diuinorum attributorum, admirabilis quorum proprietas est absque sui mutatione, vel illius excelsę Maiestatis lęsione, communicari; Vnde asserimus Incarnationem esse mirabile Dei gratię, & bonitatis exemplum, nec potuisse Dei gratiam gratiùs commendari, quàm vt ipse Dei Filius hominem indueret; At culpam induere non congruebat, quia natura in se, cum sit à Deo creata, est bona, ad illumq. tendit, ac ideo posse illi aptissimè coniungi astruimus; culpa vero est malum simpliciter, & cum non sit à Deo, nec propter Deum, cum sit omninò impeccabilis, propterea non tantum fuit inconueniens, sed & impossibile, vt illi hypostaticè vniretur.

Non assumpsit peccatum Christus in Incarnatione.

Hancq. congruentiam attendentes, & vt omnis dubitandi occasio à tuo auferatur intellectu, non solum Deum nostrę fragilitatis partem assumere congruum fuisse prędicamus, verùm & congruentius solum Filium, & non Patrem, vel Spiritum sanctum illam assumpsisse, confitemur; propterea à nobis impius Sabellianistarum error damnatur; de facto Patrem, & Spiritum sanctum incarnatos fuisse asseuerantium, Filius enim assumpsit humanitatem in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati. Dixi congruentius, quia veritas hęc, licet sit infallibilis, non tamen potest simpliciter demonstrari, à diuina enim prorsus pendet voluntate cuius vię sunt omnino imperscrutabiles, & incomprehensibiles, ideoque congruentes aliquas rationes, quas fides nostra admittit, tibi libenter pręmitto.

Cur magis Filius quã Pater, ac Spiritus sãctus incarnatus sit.

Prima est, vt idiomata essent, quantum fieri posset, similia, id est, vt qui ab ęterno erat Dei Filius, in tempore hominis pariter talis foret.

Secunda. Quia Verbum est exemplar, & sapientia,

per

per quam facta sunt omnia, ideoque decuit, vt per eandem Sapientiam incarnatam omnia instaurarentur, & ad excellentiorem proueherentur dignitatem.

Tertia. Vt naturalis Filius, Filios adoptiuos honoraret, sibiq. misericorditer faceret similes.

Quarta. Quia homines scientiam, ac Dei similitudinem appetendo, iam perierant, propterea conueniens fuit, vt per ipsum Verbum, quod est sapientia, & imago Patris, vt iam probatum est in tractatu Sanctissimæ Trinitatis num.6. A quo quodammodo fuerat humanæ ruinæ sumpta occasio, redimerentur.

Quinta. Quia Filius Diuinus est quasi persona media inter Patrem, & Spiritum sanctum propterea vt esset mediator inter Deum, & homines decuit. Alias consimiles congruentias adducere possem, sed ne prolixior videar, illas omitto, & ad necessitatem admirabilis huiusce mysterij sermonem conuerto.

32 NECESSE igitur fuit Deum incarnari; sed quomodo hoc sit intelligendum, animaduerte.

Duplex in hoc mysterio consideramus motiuum: intrinsecum, & extrinsecum intrinsecum fuit diuinæ bonitatis, Sapientiæ, Omnipotentiæ, cæterorumq. attributorum manifestatio, vt dictum est, & hoc modo non fuit simpliciter necessarium, hominem liberare à malo culpæ, & pœnæ, in quo iacebat, poterat enim Deus illi omnia condonare, cum sit supremus Dominus, quapropter poterat iuri suo cedere, culpamque condonare. Et cum sit Supremus Legislator, poterat in lege contra peccatores, lata, dispensare: Et tandem cum non teneatur Dominus summum iustitiæ rigorem semper seruare, potuit puro homini, vel Angelo munus satisfaciendi committere, quia offensa *Necessitas Incarnationis.*

erat

erat finita ex parte hominis licet fuerit infinita ex parte Dei, (& hic manifestè apparet, quam falsa sint ea quæ habes circa hoc, num. 74. & alibi) quemadmodum, & alium modum redimendi poterat adinuenire, ac ideò Christus Dominus, sicuti Oblatus est, quia ipse voluit, ita poterat non mori, neque pati, quicquid enim agit Deus ad extra, liberè, & contingenter agit.

Vnde stulti dicuntur, qui hæc similia sacrilega Verba proferunt. Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem; Verax enim Dei misericordia, cum ad reparandum humanum genus, ineffabiliter multa ei suppeterent, hanc potissimam consulendi viam elegit, qua ad destruendum Diaboli opus non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ: Liberè ergo, tùm in Redemptione in se, tùm in modo reparandi se gessit Deus.

Sed quoad extrinsecum aliter res se habuit; quapropter extrinsecum motiuum fuit Adæ peccati occasio: Iam enim gloriabatur vniuersi humani generis inimicus, sua fraude, atque astutia hominem fuisse, deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram Mortis subijsse sententiam, Deumq. erga hominem, iustitiæ exigente ratione, quem in tanto honore condiderat, propriam (heu miseri) mutasse sententiam; Propterea necesse fuit, secreti dispensatione Consilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos pietatis suæ dispositionem, Sacramento occultiore compleret, & homo, Diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret. Sed per hoc medium ad æternam reuocaret fœlicitatem.

Pos-

33 Possibile ergo, congruum, & necessarium, hac necessitate considerata, fuit Deum hominem lapsum per carnis assumptionem reparare, quapropter aliquo determinato tempore hoc ineffabile mysterium adimpleri, & executioni dari opus erat. Vnde æterna Dei Sapientia, quæ omnia pondere, & mensura gubernat, nullum fœlicius, nullumvè opportunius tempus, præterquam id, quo increatus Pater, coæqualem sibi Filium genitum, misit in Mundum, inuenit. Nec revera alio tempore adimpleri debebat; non à principio Sæculi, opus enim diuinæ Incarnationis ordinatur principaliter ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem; peccatum vero non fuit à principio Mundi, & cum medicina non detur nisi quis infirmus sit, propterea non debebat pro illo tunc incarnari.

Opportunitas temporis Incarnationis.

Sed nec statim post peccatum, & hoc propter conditionem humani peccati, quod ex Superbia prouenerat, ac ideo eo modo erat liberandus, vt humiliatus recognosceret se Liberatore indigere, quapropter magno Dei consilio factum est, vt post hominis casum, non illicò Dei Filius mitteretur, hominem prius in libertate arbitrij, & lege naturæ relinquens, vt sic vires naturæ suæ cognosceret, cognitaque sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.

Neque tandem differri debebat, vsque ad Sæculi consummationem, vt ex saluberrimo humanæ salutis effectu, liquido constat, cum enim languore quodam humani generis abolescere cępisset cognitio Dei inter homines, moresque, & leges immutarentur, statim eligere Abrahæ semen non dedignatus est, in quo forma esset renouata Dei, & morum. Quare cum Incarnatiò diuina, nec plus, nec minus dilata sit, quam

G opor-

oportebat, opportuno, & conuenienti tempore factam fuisse, necesse est confiteri, hac scilicet sexta Mundi ætate.

34 Et ad hoc, vt tàm admirabile mysterium adimpleretur, ab æterno in mente diuina B. Virgo Maria præuisa fuit, verum Deum, verumq. hominem paritura, iuxta illud Sapientis Prou. 8. in persona ipsius Genitricis sic loquentis: Dominus possedit me in initio viarum suarum &c. & alio loco; Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret; &c. Vt autem scias loqui de vera Filij Dei Matre, animaduerte Rabbenum Haccados, quem Magistrum Sanctum vocant Hebræi, & Iehosoan Sirac fideles hebraicæ Linguæ, omniumq. diuinorum eius mysteriorum expositores; Salomonem de vera Christi Matre locutum fuisse, constanter asseuerasse. Imo idem Rabben. Haccad. in lib. quem Gale Razeya, scilicet Reuelatorem arcanorum nominauit, respondens ad Sextam Antonini Consulis Vrbis Romæ petitionem, Deus, inquit, quia iam sua diuina scientia præuiderat, omnesq. casuros in Adam, exceptis Sanctissimis illis Christi, & Mariæ animabus, vt etiam dictum est ad mentem Mahumeti, voluit amore tantæ pijssimæ Matris, totum Mundum creare; Quod satis confirmari posset ex illo Ieremiæ 33. Nisi pactum meum esset, diem, ac noctem cælo, & terræ non posuissem.

Prou. 8.

De vera Beatissimæ Virg. prædestinatione.

Et in eadem petitione inter alia sic habet, quod petisti, quamobrem Israel populus Dei peculiaris, & electus dictus fuerit? dicam tibi, quæ scripta reperi à Rab. Symeone filio Iohai in libro Melcar Hassodath; cœpit Rab. Isaias Sermonem, & dixit, Væ tibi Moab, perdidisti popule Chamos, dedi filios eius in libertatem, & filias in captiuitatem. Væ illis, Væ illis, qui

vo-

vocati ſunt patres totius Orbis, & humani generis, ac inſuper populus Dei peculiaris; & infra; Videns Deus ex Iſrael excidendam eſſe petram ſine manibus, quæ eſt petra primaria, ex qua Meſſias futurus erat, qui extendet miſericordias ſuas ſuper vniuerſum Orbem, propterea Iſrael Patrem Vniuerſi Orbis vocari voluit, eiusq. peculiarem populum: Hæc autem petra primaria eſt Mater Regis Meſſiæ; Vnde hanc congruentiam, Chriſtianamquè veritatem apertè colligimus; Si Deus Iſraeliticum populum propter Chriſti Matrem ſibi eligere voluit, multo magis Tribum, familiamquè, ex qua ipſa proceſſura erat, eligere congruebat; nimirum tribum Iudæ, Regiamq. familiam Dauidicam, ex qua deinde Chriſtus ſuam ducturus erat originem, vt inferius comprobabo. Ipſam ab hac ſtirpe originem traxiſſe ex hoc apertè liquidò conſtat; Dauidem ſiquidem inter ceteros, duos legimus habuiſſe filios Salomonem, & Nathan, per lineam Salomonis deſcendit Ioſeph, cui congruenti ætate, diuina diſpenſatione, Beatiſſima Virgo Maria (cùm iam triennio poſt eius Sanctiſſimum ortum ducta fuiſſet in Templum, ibiq. manſiſſet annis vndecim integris, quarto ante Dominicam Incarnationem menſe) deſponſata, ac tradita fuit, qui ſemper vno, eodemquè Sacro Spiritu ducti, vna eademq. voluntate pares, pari conſenſu perpetuam, vt decebat, ſeruarunt Virginitatem; quamobrem Ioſeph propter eius admirabilem Sanctitatem, nomine Patris putatiui Filij Dei meruit appellari, eiq. cibaria quæquè ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria erant, (vt in omnibus nobis aſſimilaretur) miniſtrare, ſæpeq. ſæpius in vlnis ſuis velut alter Symeon incredibili reuerentiâ ſacrum baiulare infantem, ac tandem cum illo conuerſari, donec æter-

De genealogia Mariæ.

Præſentatio in Tẽplo, ac deſponſatio Mariæ oſtẽditur.

no Creatori Sacrosanctum naturaliter emitteret Spiritum; non eo pacto, quo tu Princeps numero vigesimoseptimo dum ipsum fuisse lapidatum à Iudæis, absq; ratione, ac fundamento, affirmas.

35 Per lineam autem Nathan originem duxit Beatissima Virgo Maria; eius enim felicissimus Pater fuit Ioachim, siue Eli de genere Zerobabelis, filij Salathielis ex tribu Iuda; nec mireris si Eli dixi, hoc enim nomine pariter appellatus est, cum apud Syros Ioachim, & Eli idem sint, vnde Eli à Verbo hebraico, Ala; quod ascendere significat, deriuatur, eo quod humanum genus per eius filiam ad supremum gradum, quo Angelos etiam superaret, ascensurum foret: Eius vero Sanctissima Mater fuit Anna ex genere Sacerdotali nata, de tribu Aronitica, radice Prophetica, & Regia: & ne hæc, quæ assero, in Scripturis fundamenta minimè habere putes, animaduerte, tres fuisse Sorores Bethleemiticas, Mathan, Sacerdotis de tribu Leui, & Mariæ Coniugis eius de tribu Iuda filias; quarum nomina fuerunt, Maria, Soba, & Anna: Maria nupta fuit in Bethleem, & peperit Salomen obstetricem: Soba pariter in Bethleem ducta fuit in Matrimonium: Anna verò in terra Galileæ fuit Ioachimo coniugata, quæ lucem illam Sacratissimam nunquam in tenebris inuolutam, Mariam, veri Dei, veriq. hominis Genitricem peperit mundo; ex his collige patrem Annæ de tribu Leui, matrem vero de stirpe Regia, & tribu Iudæ extitisse. Ex Maria Sorore scilicet Annę prouenit Maria altera, quę dicitur Cleophe Soror Consobrina Beatissimę Virginis; Hęc autem Maria Cleophe, ex Alpheo viro eius genuit Iacobum minorem, Iosephum, Simonem, & Iudam, qui fratres Domini Iesu, non carnales, sed Consobrini dicuntur, & ex

De Patre, ac Matre Virg. Mariæ.

hoc,

hoc, tui mendacium dicti numero 27. manifestè apparet.

36 Sed ad Beatissimę Virginis excellentiam sermonem reuocamus, admirabilemq. eius Virginitatem non solum ante partum, verum & in partu, ac post partum, vt ex lege Prophetarum oraculis, veterumque Talmudistarum testimonijs lucidissimè constat, comprobamus. Et primum quidem Leuit. 12. habetur. Leuit. 12.
Mulier, quę susceperit semen, & peperit masculum immunda erit. Cum itaque naturaliter nulla mulier sine semine parere possit, & textus dicat Mulier &c. Virginit. B. V.
sequitur, quod, quandoque mulier aliqua sine suscepto virili semine paritura est masculum, ipsaq. ab omni macula munda permansura, hęc autem nulla alia futura erat nisi Mater Iesu; de qua postea locutus est Isaias 7. dicens; Et adiecit Deus loqui ad Achaz dicens. Pete tibi Signum à Domino Deo tuo, & dixit; non petam, & non tentabo Dominum; dixit autem, Audite ergo domus Dauid; nunquid parum est vobis &c. Propter hoc dabit vobis signum; Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium &c. quę verba exponuntur ab omnibus Rabbinis, & pręsertim à Rab. Achados lib. Galerazeya ad secundam Antonini petitionem, de vera Christi Matre Maria.

Hoc idem maximè notatur ex responsione ipsius Virginis ad Angelum: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? textus Hebraicus sic habet. Non cognosco pro non cognoscam, more vtique hebręorum, qui vna eademq. voce, & pręsens, & futurum tempus, sępè designant.

At Ezechiel cap. 44. diuino collustratus splendore clarius Sanctissimę Dei Matris Virginitatem insinuauit; Et conuerti, inquit, ad viam portę mediocris C.44.

San-

Sanctuarij, quę respicit orientem, & ipsa clausa erat, & dixit Deus ad me; porta hęc clausa erit, non aperietur, vir non transibit per eam, & erit clausa. Et hic est finis versiculi Pasuc apud hebręos: vbi in eo, quod porta hęc, ter clausa, dicitur, Matrem Dei hominis Virginem ante partum, in partu, & post partum futuram fuisse nobis insinuat, vt rectè Rab. Symeon filius Iohai, & Achados notarunt.

c. 7. Inter alios tamen Prophetas manifestius tantę Matris, quę lucem dedit sęculo, Virginitatem Isaias iterum nobis indicat, dum capite 7. asserit Hinne, Haalma, Hara, id est, Ecce Virgo pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Multas ac ferè innumerabiles consimiles authoritates integritatem Beatissimę Virginis comprobantes, adducere possem, sed quia non est pręsentis negotij, propterea illas omitto. Sat mihi erit mysterium indicasse, vt cognoscas in hoc admirabili Incarnationis opere nihil reperiri, quod mysterio, aut Sacramento careat.

37 Determinatis igitur omnibus, quę ad hoc pietatis opus necessaria erant, & cum plenitudo illa temporis iam aduenisset, in qua diuini Consilij inscrutabilis Altitudo ab ęterno disposuerat Vnigenitum Sempiternumque Dei Filium pro Salute hominum, hominem fieri, vt Sacratissima passione, eiusq. crudeli morte pro cunctis reatibus humanis, diuinę iustitię grauiter offensę, plenè satisfacere posset, diuinamq. pariter imaginem, ac similitudinem in homine inuidia Diaboli deturpatam, suomet tam mirabili humilitatis exemplo reparare; Delegissetque, vt dictum est, propterea Virginem omnium, quę tunc essent, aut vnquam fuerant, eruntvè Sanctissimam, quę vera Mater Dei diceretur, & foret; eius ætatis anno xv. mense

Martij;

Martij, misit ad eam Archangelum Gabrielem, vnum de primatibus Aulæ cœlestis spiritibus, qui ei diuina hæc aperiret consilia, Sacraq. illi nunciaret mysteria, per illa verba Aue Gratia plena Dominus tecum Spiritus sanctus superueniet in te &c. cui cum Virgo alijs verbis consensum, humillima sui in Deum resignatione præbuisset, Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum; protinus in Castissimo, semperq. intacto eiusdem Virginis vtero ex purissimis eius sanguinibus ad instar aliarum matrum (quia habuit eandem actiuitatem qualem habere solent cœteræ matres in generatione prolis; hac tamen differentia, quia in alijs adest hominum opus, in ipsa vero cooperauit miraculosè ineffabilis Spiritus sancti virtus) formauit Deus humanum fœtum, virileque corpusculum in omnibus perfectissimum, atque eodem pariter instanti summus ille omnium opifex, qui quotidie tot animarum humanarum millia creare, corporibusque infundere non desinit, tunc vnam omnium præstantissimam, omnium donorum naturalium, ac supernaturalium plenitudine, cumulatissimè refertam, ac superfluentem produxit, prædictoq. corpusculo inspirauit; nec non in eodem humano, animatoq. conceptu, simul, & semel humanam, diuinamq. naturam hypostaticè, siue personaliter, vinculo prorsus indissolubili, vsque adeo copulauit, vt vna, eademq. Vnigeniti, coæterniq. Filij Dei persona simul Deus, & homo, verè diceretur, & esset; Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum &c. Homo, per id, quod Verbum Caro factum est &c. Deus, per id, per quod omnia facta sunt; Homo, per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege, vt eos qui erant sub lege redimeret. Nec vllum est in hac

Annūtiatio Angelica.

Modus, quo Spiritus sācti opere in vtero Virg. formatū sit Filij Dei Corpus, & nō per hominū opus.

Verus Deus verusq. homo ostenditur Christus.

vnione

vnione mendacium, dum inuicem sunt, humilitas hominis, & altitudo Deitatis.

38 Modus autem quo Deus in Virginali aluo atque in hac mortali carne extitit nedum humanum, verum & Angelicum omninò superat captum: attende tamen. In venerabili Saluatoris nostri Conceptione pro comperto habe; quædam omnino supra naturam, quędam verò naturaliter, & iuxta humanam consuetudinem acta esse; nam quod Christus in vtero Virginis, non vt cœteri fœtus ex commixtione seminis viri, ac mulieris, ab hoc, corpus, ab illo autem figuram accipientes, factus sit, sed ex Virgineo semine corpus, & ab eo, qui dat virili semini vim figurandi fœtum, hoc est, immediatè à Deo figuram acceperit, id est de Spiritu sancto fuerit conceptus: Item, quod non quadraginta circiter diebus, vt communiter cœteri, sed immediatè fuerit formatus, & organizatus, & denique, quod quantumuis in dies fœtus naturaliter augeretur, venterq. Virginis intumesceret, nullatenus tamen eam grauaret: hæc certè, & si quæ sunt huiusmodi alia, omnem superant naturæ facultatem, & à sola Dei Omnipotentia proficisci, fieriq. potuisse certissimum est; Et licet huiusmodi Sanctissima Christi Conceptio quædam habeat propria, quibus humanæ initia conditionis transcendat, non alterius tamen naturæ erat eius Caro, quam nostra, nec alio illi, quam cæteris hominibus modo anima est inspirata, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis. Quod autem idem fœtus ex ipso matris semine, & ex purissimis eius sanguinibus in materno vtero ad modum cęterorumq. fœtuum coaluerit, & quod duabus membranis eidem vtero ex parte annexis, contectus manserit, & quod, vt solent plantæ, à terra per radices, sic

Quod in Virginali Aluo extiterit Filius Dei per nouem menses.

ſic ipſe per nouem menſium ſpatio, à matre vitales ſpiritus, nutrimentumq. per duas venas attraxerit, ac totidem arterias inuicem copulatas, quæ ab vno quidem ipſorum capite in plurima, ac tenuia vaſa diſtinguebantur, atque dictis membranis vteroq. materno iungebantur; ab altero autem capite per dicti fœtus vmbilicum ingredientes, partim ad iecur, partim ad ipſius cor diſtinguebantur: hæc proculdubio, ac ſimilia naturaliter eſſe facta nemo eſt, qui dubitet. Cœterum quando in vtero Virginis virtute Spiritus ſancti humani generis Saluator conceptus eſt, tunc impletæ ſunt diuinæ promiſſiones olim factæ, iuramentoq. firmatæ Abrahamo, & ſemini eius, atque omnes Prophetiæ, quæ de Aduentu Domini in ſacro eloquio habentur, qualis eſt illa Iſaiæ cap. 7. Ecce Virgo concipiet &c., & illa eiuſdem cap. 9. Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: Et illa Baruch cap. 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, & illa Aggæi cap. 2. Et veniet deſideratus cunctis gentibus; Et quæ ſunt huiuſmodi aliæ, vt fuſius videbimus in quarto Capite. *Cap. 7.* *Cap. 9.* *Cap. 3.*

Quoniam verò in Chriſto duplex origo erat, diuina ſcilicet & humana; diuina, qua erat Deus, de qua tum in Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio, tum in hoc de Incarnatione per totum ſatis, ni fallor, verba feci, propterea prima relicta, ſecundam, nimirum humanam ipſius Genealogiam tibi patefaciam. *Duplex Chriſti origo.*

Et primo ſcias, (vt difficultati, quam nobis num. 55. obijcis, ſatisfaciam) Chriſti genealogiam à ſacris duobus Euangeliſtis deſcriptam eſſe à Matth. ſcilicet cap. 1. & Luc. cap. 3. In vno quidem inter ſe conuenientibus, & in multis ab inuicem diſcrepantibus: Conueniunt in hoc, quia vno ore fatentur Chriſti ge- *Cap. 1. et 3.*

Christi genealogia. nealogiam, non ad Mariam Matrem eius, sed ad Ioseph Patrem putatiuum describi, & hoc seruata consuetudine Scripturarum, quæ natorum genealogias per paternam, non autem maternam ipsorum lineam ducere solent.

Differunt autem non sine mysterio in hoc, quia S. Matthæus incipit ab Abraham, & Dauid, ad quos tantum de Christo repromissio facta est: Ad Abraham, In semine suo benedicentur omnes gentes quod est Christus; Ad Dauid; De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Descendit autem dictus Euangelista vsque ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

Differentia Euangelistarum in assignanda Christi genealogia.

Sanctus vero Lucas è conuerso, ab eodem Ioseph gradatim ascendit vsque ad Adamum, & Deum, à quo factus est Adam: Matthæus Regiam stirpem vsque ad Domini generationem prosecutus est, Lucas vero Sacerdotalem; Sanctus Lucas nullas creditur præterijsse generationes, sanctus vero Matthæus dicens, Ioram genuisse Oziam tres Reges medios prætermisit, vltimus Ochoziam, Ioam, & Amasiam; & hoc quia generi Ioram se miscuerat impijssimæ Iezabelis primus, propterea vsque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ Natiuitatis ordine poneretur, & propter hoc aufertur tua difficultas, & contradictio, quam in Euangelistis ponis num. 51. & infra.

39 Sed vlterius progrediamur simulq; pia mente perpendamus, quæ Christiana Religio in Christo admittit, & confitetur. Quemadmodum tres sunt, vt visum est, in Sanctissima Trinitate personæ, quæ licet ad inuicem absque separatione distinguantur, sibi tamen inuicem absque confusione vniuntur; Ità, & in Christo tres confitemur esse substantias, diuinitatem,

ani-

animam rationalem, & corpus humanum, quæ licet ad inuicem separata sint, vnum tamen tertium, id est, Christum, constituunt, & ipse nil aliud est, quam ista tria, perfectus siquidem Deus est, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, non tamen ex his tribus compositum, siue mixtum esse, velut homo ex anima, & corpore componitur, aut ex quatuor elementis corpus affirmamus; id enim, quod componitur, aliud est ab ijs, ex quibus componitur, at non sic Christus, qui licet dicat vnam personam, in duabus tamen existit naturis, quarum proprietate saluata, suscepta est à Maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab immortalitate mortalitas, & natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atq; idem mediator Dei,& hominum Christus,& mori posset ex vno, ex ea scilicet parte, qua homo erat, & nec mori, nec pati ex altero, ex ea parte qua Deus erat, quia vt sic impassibilis fuit, semper est, & erit, nec propter hoc Verbum diuinum, aut in carnem, aut in animam aliqua sui parte conuersum est, dicitur enim tanquam aliud in alio habitare, id est, diuina natura in humanitate, non aliqua commixtione, vt esset, quod non erat, quicquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale, quale est id, in quo habitat; Vnde simplex, & incommutabilis natura Deitatis, tota est semper in sua essentia, nullum sui damnum recipiens, nec augmentum, nec propter talem vnionem decrementum; vtrumque tamen in vno manet, id est, caro & verbum, & vnus in vtroque est non diuersitate diuisus, nec permixtione confusus; nec alter ex patre est, alter verò ex matre, sed idem aliter ex patre ante principium, aliter ex matre in fine Sæculorum. Ex his quæ hucusque dicta sunt pro-

Tres in Christo cõstituunt substantias.

In Incarnatione remanserunt naturæ integræ.

positiones aliquas à Christiana Religione concessas pia mente collige.

40 Prima. Christus est Filius Dei naturalis. Hæc propositio in nostra fide, vt verissima ab omnibus tenetur, eadem ratione comprobata, eodemq. sensu intellecta, qua est hæc altera propositio: Christus est verus Deus, & Verbum Dei, ratione scilicet diuini suppositi; ad differentiam, hæc assero, Apostolorum, ac omnium hominum iustorum, qui non nisi per adoptionem, participationemquè Filij Dei nuncupantur, ac propterea falsum est, quod asseris numero 41. de filiatione tùm Christi, tùm eius Apostolorum; vt clarius infra cap. vlt.

Propositiones de Incarnatione.

Secunda. Christus in quantum homo est Filius Dei naturalis, quæ propositio in aliquo sensu est vera, & in aliquo falsa; Vera si non naturam, sed diuinum perpendamus suppositum, quatenus scilicet Christus est suppositum humanæ naturæ, quæ non aliud suppositum præter Filium habet, & hic Filius verè, ac propriè est Filius Dei naturalis; Si autem naturam respiciamus, est falsa, quia filiatio est suppositi, non naturæ, cum autem alia sit ratio formalis naturæ diuinæ, & humanæ, propriaq. filiatio naturalis requirat eandem naturam cum generante, propterea non potest dici sub hac ratione Filius Dei naturalis. Addo, quia vt talis, non est similis Patri in natura, Dei namque natura est Deitas, Christi verò, vt hominis est humanitas.

Tertia propositio est hæc: Christus est Filius Dei adoptiuus: hæc propositio falsissima est apud nos; Tribus enim modis, Christum hominem esse Filium Dei fingi potest, vel ex parte Verbi, existimando scilicet, Verbum secundum se, non esse verum Filium Dei na-

tu-

turalem, ſed ſimplicem creaturam, quæ ad hoc, vt ſit Filius Dei adoptione indiget, & hæc Arrianorum eſt hæreſis: vel ex parte hominis, quia nimirum non ſolùm humanitas, ſed etiam hic homo Chriſtus eſt creatura, ac ideo adoptionem prærequirit, vt fiat Filius Dei, per illamq. talis effectus eſt Filius, & hæc eſt hæreſis Neſtorij: vel tandem ex parte totius compoſiti, ex humanitate, ſcilicet, & ſubſiſtentia Verbi, & vt ſic, cum ſit vna perſona compoſita ex his capax eſt per conſequens filiationis naturalis, ex parte ſcilicet B. Virginis; hocq. pariter ſenſu, eſt falſa, eius enim filiatio eſt naturalis, non adoptiua, & hoc diuinum filiationis naturalis priuilegium, gratia huius admirabilis vinculi, naturæ humanæ, cum natura diuina, illi competit. Eſt falſa denique hæc propoſitio, non quia perſona Chriſti non ſit capax filiationis temporalis, ſed quia adoptio præſupponit extraneitatem in adoptato, Chriſtus autem nunquam fuit extra cœleſtem hæreditatem.

Varij Heret corum errores circa Sanctiſſimam Incarnationem.

41 Ad propoſitiones modo, quæ tui intellectus obtenebrant Speculum, accedamus, illaſq. examinemus. Propoſitiones ſunt iſtæ ſequentes: Deus eſt homo, homo eſt Deus, Deus factus eſt homo, homo factus eſt Deus &c.

Duo ſunt veriſſima principia, in quibus omnes ſuppoſitæ propoſitiones fundatæ ſunt.

Primum. Certum, & indubitatum eſt apud Chriſtianos, in Chriſto fuiſſe, ac remanſiſſe duas naturas, integras, atque perfectas, humanam, ſcilicet, & diuinam, omninò impermixtas, vt dictum eſt.

Secundum principium eſt; Chriſtum eſſe verum Deum, verumque hominem in vnitate perſonæ; ita quod in vna, & eadem perſona eſt diuinitas, atque hu-

humanitas, hæcq. persona est diuina, non humana, sed vicem gerit personæ humanæ. Ex his duobus principijs elige has duas generales regulas in hac materia, veras, ac necessarias.

Prima est, illa propositio in qua significatur naturam diuinam esse humanam, & è conuerso est falsa, quia diuinitas non inest humanitati, nec humanitas diuinitati, sed omninò impermixtę sunt.

Secunda illa propositio, in qua Christum, siue personam Christi esse verum Deum, & verum hominem denotatur, est omninò vera, quia illa persona, quę est Christus, est simul Deus, & simul homo; ac ideo omnes Dei, & hominis proprietates sibi vindicat; vnde quia ista est vera; Christus est verus Deus, hęc altera consequenter erit vera, Christus est Omnipotens, iustificat, prędestinat &c. Similiter, quia hæc est vera, Christus est homo, hæ alteræ quoque propositiones erunt verę, Christus famem passus est, mortuus est, & cœtera prędicata, quæ verè, & propriè competunt homini, competunt etiam Christo, quia ipse est verus Homo. Vlterius animaduerte, quod quæ competunt supposito creato, non competunt Christo, quia in Christo non est persona creata, sed solum diuina, vnde propter hoc non potest dici creatura, vt videbimus.

42 Ex hoc ad propositum, collige, Naturam humanam, & diuinam in Christo remansisse distinctas, ac ideo non posse prædicari de se inuicem affirmamus; conuenire tamen, & coalescere in vno tertio, scilicet, in vna persona diuina, ratione cuius esse idem, & non aliter prædicamus, hacq. tantummodo ratione de se inuicem posse prædicari confitemur. Vnde asserere possumus has propositiones esse veras: Hic homo est

est Deus, & Deus est homo; quia in huiusmodi propositionibus Deum esse hominem non simpliciter, sed ratione vnitatis personæ asserimus; nec tamen licet inferre, ergo Deus absolutè, & simpliciter est homo, quia de rigore Sermonis, hæc propositio, significat Deum formaliter, & secundum omnimodam identitatem esse hominem; quod tamen est falsum propter distinctionem naturarum; quæ de se inuicem formaliter non prędicantur, vnde non valet dicere; Deus est humanitas, Deus est mortalitas; siue Deitas est incarnata; humanitas est Deificata, quasi inferre vellemus humanitatem esse mutatam in Deitatem, & è conuerso, vel diuinam naturam mutatam, & conuersam fuisse in humanam, & è contra. Sunt tamen verę huiusmodi propositiones hac ratione, hocvè sensu, quia diuinitas est omnino idem realiter cùm persona Verbi, quæ persona incarnata est, humanamq. carnem immediatè assumpsit, ideo ratione huius diuinæ personæ, vnionisq. naturarum in illa sunt verissimæ; Estq. blasphemia execrabilis in nostra fide oppositum sentire.

Deitas non est incarnata, sicut nec humanitas est deificata.

De alijs autem propositionibus Deus factus est homo, homo factus est Deus, dicimus primam propositionem extra controuersiam esse concedendam, quia cum ante Incarnationem Deus non esset homo, & post Incarnationem est homo; sequitur hanc propositionem esse veram Deus factus est homo, quia vnumquodque illud dicitur factum quod de nouo incipit prędicari de ipso. Aduerte tamen ly factum nullam mutationem etiam substantialem in supposito acquirente talem prędicationem dicere, quia tunc mutatio euenit, quando subiectum quod fit homo per transmutationem sui acquirit esse humanum, & non quando acquirit esse humanum solum, personando huma-

nam

nam naturam, vti reperitur in mysterio Sanctissimæ Incarnationis.

Secunda vero propositio Homo factus est Deus, si ly homo dicat suppositum habens humanitatem, sic non admittitur, nam tale non dicitur factum Deus, quia semper fuit Deus; si verò accipiatur non pro supposito; sed pro natura humana indiuidua, quæ fuit assumpta, sic verificatur propositio homo factus est Deus, scilicet natura humana facta est natura Filij Dei, quia eam suppositauit.

Ex omnibus his collige quid sentiat de Christo quoad humanitatem Christiana Religio. Non enim Christiani Deum tantum dici Christum, vti Manichęi asserunt, nec hominem tantum sicut Photiniani, nec ita hominem, vt aliquid ei desit, quo ad id, quod pertinet ad humanam naturam, scilicet, carnem, quæ non de fœmina sumpta sit, sed facta de Verbo in carnem conuerso, atque mutato, vti Apollinaristę; nec conceptum fuisse sine deitate, vt qui creatus à S. Sancto, postea sit susceptus à verbo, vt Nestoriani; nec tandem in eo vnam tantummodo naturam ponimus, vt Eutychiani; sed dicimus Christum Dei Filium, Deum verum, natum de Deo Patre sine vllo initio temporis; eundemq. hominem verum natum de Matre certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem, qua minor est Patre, minuere aliquid ei naturę, qua ęqualis est Patri.

43 Nunc, quę ad eius Sanctissimam animam pertinent, vt exactam tanti mysterij cognitionem suscipere valeas, consideranda sunt. Et primo aduertere debes nostrum pijssimum Reparatorem, non vt cęteros homines veluti animal quoddam rationis expers, densissimis in ignorantię tenebris mersum mansisse in

vtero

vtero Virginis, ſed omnem ſcientiam, cognitionem, atque gratiam non ſecus, ac quando poſtea Vir factus fuit in illo inſtanti, in quo Sanctiſſima illa anima vnita fuit carni, propter admirabilem diuinitatis redundantiam habuiſſe, confitemur. Vnde propter gratiam Sanctiſſimæ vnionis inter naturam humanam, & diuinam omni prorſus Sanctitate præditum, & Deo gratum aſſerimus, vt tuus etiam Mahumetus ſæpè ſæpius in Alcorano confitetur; neceſſe enim fuit hanc humanitatem, ſeu hunc hominem maximo amore ſupernaturali à Deo diligi, quia maximum ſupernaturale donum in ſua humanitate à Deo ſuſcepit, quod eſt obiectum diuinæ dilectionis, totum naturæ ordinem ſuperantis; hoc autem admirabile vnionis donum nullam ſecum admittit peccati maculam in natura vnita, ac per conſequens fuit impeccabilis, atque ab omni excogitabili ſorde alienus, vt abundè ex Sacris Prophetarum vaticinijs colligitur.

Excellentia Animæ Chriſti Sáctiſſimæ.

Dauid ſiquidem de Chriſti innocentia in Spiritu loquens Pſal. 44. ait. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo Iuſtitiæ. Chriſti autem nomen vnctionem importat. *Pſal. 44.*

Iſaias 61. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me &c. *Cap. 61.*

Daniel 9. cap. Et vngetur Sanctus Sanctorum; per hanc autem vnctionem, qua Chriſtus homo fuit vnctus, & à qua Chriſtus eſt appellatus, intelligimus diuinitatem, ſeu Verbum, per cuius præſentiam humanitas Sanctificatur. *Cap. 9.*

Gratiam pariter ſingularis perſonæ, & capitis Eccleſiæ in Chriſto collocamus, primumq. ſubdiuidimus in habitualem, & actualem: Habitualis nil aliud eſt, niſi habitus creatus, infuſus à Deo illi animæ, mediante quo, anima illa Sancta fuit grata ipſi Deo, ſicut

Duplex gratia in Chriſti Anima.

Quid ſit gratia habitualis.

gratia gratum faciens in nobis est talis habitus, per quem à peccatis iustificamur, & euadimus grati Deo, hancq. gratiam debere esse in Christo inter alios Prophetas vaticinatus est Isaias 11. cap. Et requiescet, loquens de Messia, super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus &c. & 42. Suscipiam eum, dedi spiritum meum super eum; cui simile est illud, det tibi Deus de rore Cœli, scilicet, Spiritu & gratia Dei.

Quid gratia actualis. Actualis verò est habitus creatus à Deo, animæ Christi infusus, propter quem eius diuinus intellectus, & anima Christi videbat in Verbo propter redundantiam diuinitatis, & eius præsentiam omnia, quæ videt Verbum; Eodem enim actu, quo anima videt Verbum, tunc omnia, quæ sunt in Verbo sunt illi præsentia, ac relucent. Vnde propter hoc diuinum priuilegium cognitio animæ Christi, ne dum animarum Sanctorum, qui sunt in patria, verum & ipsorum Angelorum superat cognitionem.

Verum sicuti habitualem, & actualem gratiam in eius Sanctissima anima prædicamus, ita pariformiter duplicem in eadem anima statuimus cognitionem, siue scientiam; scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ, cognitionem actualem, & habitualem, quibus præterita, præsentia, & futura cognoscit; Tantæque erat huiusmodi gratia, & cognitio animæ Christi excellentiæ, vt non posset Deus de sua ordinaria omnipotentia maiorem ei in alia natura creare, siue illa natura sit assumpta, siue non sit assumpta, quia secundum legem Dei ordinariam esse non debebat, nisi vnum caput Ecclesiæ, à quo esset gratiæ influentia in membra Sanctitatis, & iustitiæ, vnde propter talem gratiam, quę est in Christo, dicitur Caput Eccle-

siæ

ſiæ Chriſtus, non ſolum vt Rex, Legiſlator, & Doctor; verùm, & magis propriè, vt Redemptor, & Sanctificator; propter habitualem tamen meruit nobis gratiam, & gloriam, remiſſionem peccatorum, ac tandem cum homine æterni Patris reconciliationem; Vnde hoc meritum rectè dicitur influxus gratiæ in vnumquemque noſtrum de hoc inferius &c.

44 Nec mireris, ſi dixi, Chriſtum Dominum nobis meruiſſe gratiam &c. Poterat enim mereri, & de facto meruit, hocq. facillimè percipies, ſi conditiones meriti conſiderare velles: Sex enim ſunt veri conditiones meriti. *Conditiones meriti.*

Prima eſt, quod opus meritorium ſit actus moraliter bonus, malus enim non eſt meritorius.

Secunda. Quod iſte actus ſit liber & elicitus à voluntate, non enim debet eſſe coactus.

Tertia. Quod hoc opus ſit proportionatum præmio, itaut de iure ſibi pręmium conueniat.

Quarta. Quod perſona merens ſit accepta Deo, ſcilicet quod in ipſa ſit gratia Dei.

Quinta. Quod ſit viator, Beati enim nec mereri, nec demereri poſſunt.

Sexta. Vt intercedat acceptatio ex parte Dei.

Omnes autem huiuſmodi conditiones Chriſto competunt, ac ideo mereri potuit.

Prima competit, fuit enim, vt viſum eſt numero præcedenti non ſolum repletus gratia, & ſanctitate, ſed, & omnino impeccabilis, ac per conſequens non niſi actus bonos elicere poterat.

Conuenit ſecunda, quia eius voluntas erat libera, vti eſt mea, & tua; Oblatus enim eſt, quia ipſe voluit, inquit Iſaias 53. cap.

Non repugnat tertia, quia cùm eius meritum fuit

infinitum, & infinitè gratum consequenter æquale præmio fuit.

Non refragatur quarta determinatum est enim numero præcedenti Christum habuisse summam gratiam.

Conuenit quinta, erat enim simul viator, & compræhensor, vnde potuit mereri quoad partem sensitiuam, & portionem inferiorem, secundum quas potuit velle aliquid contra affectionem commodi, quod tamen erat conforme affectioni iustitiæ, secundum quam erat anima Christi Deo coniuncta perfectissimè, & ideo illis similibus actibus potuit mereri, vt ieiunando, vigilando, orando &c. non tamen mereri potuit vt comprehensor.

Competit tandem sexta, quia sicuti Deus statuit, vt homines mererentur tantum in hac vita, & non in Patria, & eorum opera pro meritorijs acceptarentur, ita statuit de operibus Christi, qui cum sit beatorum caput, in Patria non potest mereri, voluit Deus acceptare eius diuina opera pro meritorijs; hocq. insinuatum fuit ab Isaia Propheta 53. cap. dum dixit. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.

45 Accommodatis igitur huiusmodi conditionibus Christo. Absolutè asserimus meruisse & sibi & nobis, sibi, dum accelerationem Resurrectionis, & gloriam sui corporis meruit. Nobis verò, dum collationem primæ gratiæ, omnibus illis, qui illam recipiunt; gratiam pariter secundam; scilicet gratiam pœnitentialem, quam habemus post lapsum in peccatum mortale actuale, licet cum ea, quæ est principalis causa iustificationis requiratur cooperatio ex parte pœnitentis scilicet contritio de peccato perpetrato.

Quid Christus sibi meruerit.

Quid meruerit nobis.

Meruit

Meruit tandem, vt totalis causa aperitionem Ianuæ Paradisi omnibus decedentibus in gratia; meruit omnibus electis, qui saluantur efficaciter; sufficienter vero omnibus indifferenter, id quod negas num. 72. Vnde Princeps, excusationem non habes, de tuę infidelitatis peccato, sufficiens enim auxilium habes, quo & fidem nostram, si vis, suscipere vales, & saluare animam tuam, si illam non despicis, omnino potes.

46 Sed progrediamur si placet. Hucusque Deum humanatum, & carne velatum in vtero Sanctissimę Virginis considerauimus, superest nunc illum contemplari, prout de clauso Virginis vtero mirabiliter venit, & exiuit in lucem.

Ad hoc igitur vt diuinæ implerentur Scripturæ, & veraces olim factæ Prophetis adimplerentur promissiones præsertim Isaiæ cap. 7. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & cap. 9. Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri Sæculi, Princeps pacis &c. Et Baruch. cap. 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Et Aggæi cap. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. Et quæ sunt huiusmodi aliæ.

Cap. 7. Cap. 9. Cap. 3. Cap. 2.

In Bethleem Iudæ natus est Dominus Noster Iesus Christus circiter exacta media nocte diei 25. Decembris, Anno à Creatione Mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimonono, Octauiano Augusto imperante, Olimpiade 194. à Roma condita 751. sine vllo prorsus Matris dolore, aut incommodo, imò cum ingenti eius gaudio spirituali, vt illud diuinum Isaiæ cap. 35. adimpleretur oraculum, Germinans germinabit

Anno quo Christus natus est.

nabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans &c.

47 Quomodo autem ipſe Chriſtus, vt mira ſimul humana eius vltro pro nobis aſſumpta humilitas, & diuina, qua naturaliter pollebat celſitudo, & ſublimitas oſtenderetur, licet in ſtabulo natus, & præ parentum paupertate reclinatus ſit in Præſepio, eius tamen Natiuitas mirabiliter ab Angelo nunciata eſt Paſtoribus, à cæleſtisq. ſacræ militiæ ſpiritibus ſummis laudibus fuit celebrata: Vnde ipſe diuinus infantulus primo à vicinis viſitatus, ac deuotè requiſitus fuit à Paſtoribus, mox à Magis de longe, ductu nouæ ſtellæ, venientibus, humiliter adoratus, ac myſticis muneribus honoratus, ſigna mirabilia, quæ ſtatim Chriſtum, & verum Deum, & verum hominem oſtendere cœperunt; Verum Deum, dum in forma Dei, æqualem ſe oſtendebat Patri, cum per Incarnationis myſterium, nihil deceſſerit Verbo, quod ei Patris munere redderetur; Vnde quicquid accepit Chriſtus in tempore, ſecundum hominem accepit, non ſecundum Deum; Verum hominem, dum in forma hominis gerebat, quæ gerit homo. Verum Deum, dum vnum ſe eſſe cum Patre oſtendit, Verum hominem, dum toto ſuæ vitæ curriculo, multa pro homine paſſus eſt incommoda; Verum Deum, dum ijſdem condecoratus eſt diuitijs, quibus ornatus eſt Pater. Verum hominem, dum pro eius paupertate non erat ei locus in diuerſorio; Et tandem ſcias Princeps, (cum non ſit præſentis negotij admirabilem Chriſti vitam, eiusq. infinita miracula, ac geſta recenſere, quia nec intellectus capere, nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, quæ ipſe, vt Deus, & homo triginta triũ annorum ſuæ vitæ curriculo geſſit.) Quædam in Chriſto fuiſſe ita humana,

Quid acciderit in Chriſti natali.

vt

vt nihil à communi mortalium fragilitate distare videretur; Quædam vero, ita diuina, vt nulli alij, nisi illi ineffabili naturæ conueniant Deitatis, quapropter, quando peccata dimittebat, lumen cœcis reddebat, vexatos à spiritibus liberabat, resurrexit, aliaq. miracula (quæ nil aliud sonant, quam facta super naturam) operabatur, hæc faciebat, vt Deus verus.

Actiones diuinæ.

48 Quando vero ieiunauit, orauit, comedit, sudauit, fatigatus est ex itinere, planctum emisit, auxilium à patre petijt in Cruce pendens, ad quem promisit se iturum, suiq. corporis claritatem postulauit, multaq. alia atrocissima tormenta, crudelesq. pœnas ab ingratis hominibus illi inflictas, passus, mortuus est, mansit per tres dies in Sepulchro, hæc omnia operatus est vt homo, quia semper fuit Filius æterni Patris, & Filius Virginis, nec cum Patre ęqualitatem eius amisit, nec vnquam à nostro consortio separatus est, Inuisibilis Deus, & visibilis homo; forma serui absconditus, & Dominus glorię, confessione credentium comprobatus. In se erat impassibilis, immortalis, omnes alios viuificans, semperq. erit; quia tamen ipsius Corpus proprium, gratia Dei, pro omnibus mortem gustauit, idcirco dicitur ipsum pro nobis mortem, & alia incommoda passum fuisse. Quando ergo hęc, & similia audies, semper Christum Dominum egisse, vt hominem, contemplare, tanquam à duabus naturis, diuina scilicet, & humana pullulantia, vtraque tamen in vnico supposito vnita, copulata, & conuenientia, certa & indubitata fide, (sine qua tam admirabilis mysterij impossibilis est cognitio) relictis naturę tenebris, confiteri. Hęc de primo Capite.

Actiones quibus Christus operabatur vt homo.

CA-

CAPVT II.

INeffabile hoc Dominicę Incarnationis myſterium, Princeps, ita ſublime, ita reconditum, ita diuinum, & ſuper naturam eſt, vt prę illius excellentia, cœtera Chriſtianę veritatis arcana, quę quidem, & pręſtantiſſima ſunt, & auguſtiſſima, vel arcana dicenda minimè ſunt, vel hoc vnum, à quo ſuam amplitudinem petunt, myſterium myſteriorum appellandum eſſe non inficiamur, quodve diuinum myſterium non lingua, verbis, ſententijs, ſed ſilentio, admiratione, ſtuporeq. quodam Sacro eſt recolendum: hic deficit humana vis, hic vniuerſa Philoſophia conticeſcit, nullę ſunt argumentationes, nulla neceſſaria indicia; hic omnis intelligentia obſtupeſcit, ſeſe abijcit, ſuamq. profitetur imbecillitatem. Nihil enim tàm ab humano intellectu remotum eſt, quàm quod duę naturę in vnico ſuppoſito exiſtant. Nihil tam in Philoſophia inauditum, à ſenſibusq. alienum, quam quod idem ſit Deus, & homo. Cum ergo omnem ſuperet noſtrę intelligentię captum, nullaq. valeat ratione naturali oſtendi; Supereſt, vt illud inconcuſſa fide credamus, Deoq. illud reuelanti, & Sacris Prophetarum oraculis, pia mente aſſentiamur.

Abſque fide non poteſt haberi cognitio diſtincta myſterij Incarnationis.

49 Quod igitur abſque Catholica fide percipere huiuſmodi Sacramentum non valeas, his rationibus tibi perſuadebo.

Prima. Intellectus ex ſibi naturaliter notis non poteſt ad diſtinctam tàm admirabilis myſterij cognitionem euehi, intellectui enim creato naturę propria, quęque in illis continentur manifeſta, atque nota eſſe dicuntur. Myſterium autem hoc ineffabile in huiuſ-

modi

modi naturę principijs, non continetur; nec vllam cum illis necessariam connexionem, qua possit euidenter cognosci habet, alias non supernaturale, sed naturale mysterium diceretur quapropter ex proprijs naturalibus non potest cognosci principijs.

Secunda. Diuinæ Incarnationis possibilitas non ex naturali causa, sed ex libera, & Dei contingenti voluntate pendet; At quæ ex libera Dei voluntate pendent ratione naturali demonstrari nequeunt, alias sequeretur futura contingentia naturaliter cognoscibilia esse, quod si veritatis apparentiam haberet nulla esset inter intellectum diuinum, cuius proprietas est secreta cordium, & futura contingentia ex Isaia Propheta cognoscere, & intellectum creatum differentia cuius proprium est tantum ea, quæ sunt in actu posita cognoscere.

Mysterium Incarnationis à libera Dei voluntate pendet.

Tertia. Si cognosci posset naturaliter, ac non necessario requireretur fides, vel reuelatio, hoc maximè esset, vel à priori, vel à posteriori, at neutro modo licet cognosci. Non à priori, omnis enim ratio à priori est per causam immediatam, & necessariam. Causa huius Sacrosancti mysterij est sola diuina voluntas, quę cum sit idem perfectissima identitate cum ipsomet Deo; non erit cognoscibilis, vti Deus naturaliter non est cognoscibilis; Deum enim nemo vidit vnquam, & ideo, nec effectus naturaliter pendens ab huiusmodi causa, erit naturaliter cognoscibilis.

Accedit, Causa non est naturalis, sed libera, & contingens, ac per consequens nonnisi liberè, & non naturaliter poterit cognosci, scilicet, si Deo placuerit hoc mysterium mediatè, vel immediatè reuelare.

Quarta. Nulla relatio cognosci potest, nisi cognito fundamento, & termino, Incarnatio diuina est vnio,

quæ nil aliud sonat, nisi relationem, (vt dictum est supra) Verbum autem diuinum, quod est secunda Sanctissimæ Trinitatis persona, est terminus, terminauit enim vnionem hypostaticam, hoc autem Verbum, cùm sit obiectum voluntarium, si vult videtur, si non vult non videtur, omnem prorsus naturalem excedens cognitionem, ideò perfecta naturalis cognitio huius mysterij haberi nequit.

Relatio cognoscitur cognito fundamento.

50 Quinta. Sed neque à posteriori: Probatur; Ex effectibus à diuina voluntate pendentibus, & productis non possumus deducere, nec huiusmodi mysterium fuisse possibile, nec factum fuisse; Si enim effectus omnes ad exactam tanti mysterij cognitionem pertinentes diligenter perpendantur, in densissimas potius tenebras, quàm in veram lucem nos conducunt, non enim ex effectibus, vnum suppositum pluribus posse gaudere naturis cognoscere valemus, cum quælibet natura sit non in alieno, sed in proprio eius supposito; consequenter ex effectibus, non possumus in perfectam cognitionem peruenire, & asserere, Verbum diuinum, naturam humanam hypostaticè, vel assumpsisse, vel assumere potuisse; alias cognoscere valeremus suppositum vnum, nimirum Verbum in pluribus subsistere posse naturis, in diuina, scilicet, & humana. Item naturam aliena personatam esse personalitate, & non propria, naturam scilicet assumptam non creata personalitate, sed increata suppositatam, & personatam esse, quæ omnia ex effectibus deduci impossibile est.

Per effectus à posteriori nō potest cognosci hoc mysterium.

Sexta. Sed ad quid (Princeps Clarissime) sic frustra, & incassum laborare, ostendendi gratia, naturaliter cognosci nequaquam posse Incarnationis mysterium, & fuisse possibile, & esse factum, cum pariter apud te sit notissimum? Si enim quis à te inquireret, de

de huiusmodi mysterij possibilitate, & facto, quid esses responsurus putamus omnes? cum enim lumen, tu, tantummodo naturale attendas, atque obserues, nedum tale mysterium fuisse factum, sed neque fuisse possibile absque dubio, ità discurrendo asserere poteris: Non potest incorruptibile, vt Deus, mortali corruptione se induere, vt est natura humana, immortale mortalitatem, summè necessarium, fieri contingens, & è conuerso, eo tamen semper sensu, quo declaratum est supra num. 14. & 15., & sic de cœteris rationibus animum tuum, naturali, innixum, lumine mouentibus; & certè rationabiliter, naturaliter loquendo, prudenterq. discurreres: *Ratio efficax cõtra Hamet.*

Verùm si diuino, & supernaturali irradiatus lumine esses, lumine scilicet fidei, aliter profectò de tanto mysterio sentires & crederes, nam impossibile est sine reuelatione, & lumine supernaturali ad cognitionem tanti mysterij peruenire posse; non enim, vt probatum est, lumen naturale est sufficiens, ideo requiritur supernaturale, cum aliud lumen in vniuersum minimè detur, præter naturale, & supernaturale.

Interim ne desinas tàm admirabile opus contemplari, & ante diuinum Verbum prostratus humiliter eius Maiestatem contemplari, eiusq. immensam pietatem supplicare, vt fidem, quam in animis nostris ingenerauit, quam tantis Apostolorum sudoribus propagauit, tàm multo Martyrum sanguine confirmauit, tam difficilibus hominum, & doctrina, & vitæ Sanctitate præstantium, aduersus infidelitatis monstra luctationibus stabiliuit, hanc in corde tuo infundat, vt firmiter credas quicquid Catholica Religio infallibiliter profitetur, & credit. Hæc de secundo Capite. *Exhortatio ad Hamet.*

CAPVT III.

51 PRæclara quædam, nobilissimaq. itinera in hac rerum vniuersitate esse, quibus ad diuinæ Omnipotentiæ cognitionem ducuntur homines, scio te (Princeps) non ignorare.

Egregia, præclarissimaq. vestigia, quibus ad Dei Sapientiam, & Charitatem intelligendam, omnium mortalium genus peruenire contendit, animaduerto, te indubitanter confiteri.

Varias esse coniecturas, varia exempla, diuersasq. rationes naturales, quibus diuinorum horum attributorum cognitionem (licet non perfectam) homines assequi non esse impossibile; te tanquam varijs naturæ donis præditum percipere posse, non inficior; hæc omnia pari consensu confitemur, vnanimes sumus, pari passu ambulamus, at dispares in alio existimus. Nos enim inconcussa fide, profitemur quædam admirabilia mysteria diuina existere, (in quibus præcipuè supradicta relucent attributa) quorum prorsus, & omnino distincta, atque perfecta impossibilis est cognitio, illa tamen varijs exemplis, ad hoc vt intellectus noster facilius illa percipere valeat, circumscribimus, vti sunt mysterium Sanctissimæ Trinitatis, de quo supra, & Sanctissimæ Incarnationis, de quo in præsenti. Tu autem absque humana ratione, humanisq. exemplis huiusmodi mysteriorum cognitionem haberi non posse putas. Verum quidem est, Christianam Religionem in mysterijs, quæ confitetur, exempla non multum prosequi, ne Sacrosanctum fidei fundamentum in ipsis collocare videatur, sed tantum, quia multùm iuuant ad illorum cognitionem, pro-

pterea

pterea illa amplectitur, atque tenet, & hoc ſuppoſita fide.

52 Varia igitur ſunt exempla, quibus veriſimile fit Incarnationis myſterium.

Varia adducuntur exẽpla ad comprobãdum hoc myſteriũ.

Primum eſt de arbore, cui inſeritur ramus alterius ſpeciei, vt ſi exiſtat pirus cui inſeratur ramus mali, in trunco piri erunt duæ ſpecies arboris, piri ſcilicet, & pomi, & tamen truncus eſt vnus. Ita perſonæ diuinæ aduenit humanitas, tanquam ramuſculus quidam, qui perſonæ inſertus fuit, tanquam trunco, vnde ſicut ſubſtantia piri ſuſtentat ramum mali, ita Verbum ſuſtentat humanitatem.

Secundum eſt de ferro ignito, nam ferrum candens eſt quid vnum, & tamen habet proprietates ferri, & ignis, & in ipſo eſt calor, & ferrum, ſiue ignis & ferrum; ita in Chriſto adſunt humanitas, & diuinitas, & tamen eſt vnica perſona, ſcilicet perſona Verbi diuini.

Tertium eſt de coniunctione animæ, & corporis, quæ ità coniunguntur, vt reſultet vna natura; In quo exemplo ſimilitudo, & diſſimilitudo exiſtit. Similitudo in hoc, quod ſicut corpus, & anima quamuis diuerſæ naturæ ſint, & tamen in vna perſona conueniunt; ità diuina, & humana natura, quamuis diſtinctæ ſint, in vna perſona tamen copulantur. Secundo tenet ſimilitudo, ſicut enim anima operatur per corpus, tanquam per organum ſibi ſubſtantialiter coniunctum, ita diuinitas per humanitatem. Diſſimilitudo tenet in hoc, quia illæ ſunt naturæ imperfectæ, & eſſentiales partes, ac ideo non tantum vnam perſonam, verum & vnam naturam componunt, natura vero diuina, & humana ſunt integræ, & perfectæ, quę non poſſunt ad cõponendam vnam naturã inter ſe immediatè coniungi.

Quar-

Quartum exemplum est de substantia, & accidente de quo supra cap. 1. num. 3. Multa & alia similia exempla adducere possem, licet vnumquodque patiatur aliquam difficultatem, ad videndum tamen id quod est aptius ad hoc explicandum animaduertere oportet ea, quæ reperiuntur in hac vnione, & quatenus se habeant, de quibus latius supra cap. 1. verba feci, & propterea in præsenti non repetam, sat mihi erit exempla hæc indicasse, atque breuiter ostendisse, te varijs medijs, similitudinibus, congruentijs, ac tandem exemplis in cognitionem huius admirabilis mysterij peruenire posse, licet absque fide facere nequeas, vt visum est cap. 2. Hæc de tertio Capite.

CAPVT IV.

TRiplex est Ecclesiæ Sacrosanctæ, omnium Christianorum matris, infidelium, & inimicorum genus, Hæreticorum, Iudęorum, atque Paganorum.

Primi aliquas tum noui, tum veteris testamenti scripturas admittunt, ac ideo facilis est aduersus illos disputatio.

Triplex sanctæ matris Ecclesiæ inimicorum genus.

Secundi nullas noui, omnes veteris testamenti partes recipiunt, licet ob eorum incredibilem perfidiam, ac pertinaciam, in densissimis omnium errorum tenebris potius quam in clara veritatis luce persistere velint, vt merito sine capite, sine duce, Altissimo Dei iudicio, eorum vitam miserrimè ducant; Et contra illos lata est disputandi via.

Tertij vero (in quibus te infeliciter versari cerno) aliquas tantummodo veteris Testamenti auctoritates, ac partes admittunt, propterea difficilius Christum esse

esse verum Deum, verumq. hominem illis persuadere volumus; Supernaturali tamen lumine ducti, & verum Deum, & verum hominem esse in veteri Testamento ex varijs Prophetarum oraculis vaticinatum pro viribus præmonstrabimus.

53 Et primo. Quod Filius Dei incarnandus erat ex fœmina corpus assumendo facilis est probatio.

Genesi 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Scio huiusmodi verba Sanctissimæ Trinitatis mysterium nobis superius indicasse, secretis tamen, & occultioribus arcanis Sacrosanctæ Incarnationis mysterium manifestant; sic enim famosiores Rabbini illa interpretantur, quorum præcipui sunt Rabbi Accados, & Rabbi Symeon Ben Iohai, quorum (vt clarius mysterium percipias in medio afferam illos, in lib. Desiphara scilicet pudoris, & occultationis. *Cap. 1.* *Ex veteri testamento auctoritatibus probatur hoc mysterium.*

Postquam in supernis determinatum est de hominum formatione, Sanctum corpus, & fœmina incorporata sunt. In tempore autem tertio (quod consequitur primum Sanctorum Patrum tempus, & secundum tempus Prophetarum) completa est hæc maxima copula, & coniuncti sunt atque incorporati sunt, Mundi superiores, & Mundi inferiores. Abhinc vero incorporatus est mundus superior mundo inferiori mediante corpore Sancto.

Quodammodo vero ridebant mundi, & congratulabantur simul, efficiebanturq. vnum corpus, quoniam quod erat superius, erat & inferius, Deus sanctus & benedictus superius, & Deus sanctus & benedictus inferius. Et prosiliens Spiritus de vagina, venit in vnum corpus, & in his omnibus vnus tantum videbatur, ille nimirum, cui dicitur Sanctus,

San-

Sanctus, Sanctus, Deus exercituum, & hoc totum vnum est corpus.

Traditum item est. Postmodum coniunxerunt se veluti duo corpora, quando vnum penetrat aliud, hoc, & illud, sicut scriptum est; Torquem auream faciemus tibi cum notis argenteis; Colligatæ sunt iustitia & misericordia, & vnitæ sunt Verbo, nec altera sine altera discedit, & propterea sequitur; Pulchra facta est gena tua propter torquem, & collum tuum pulchrum factum est propter Margaritas; quoniam inter omnes fœminas in Matrona hac reperitur Sanctitas, imò diuinitas, quæ consueuerat descendere super Ierusalem. Et omnia hæc postquam Verbum in ea corpus assumpsit, factumq. est de hominum vniuersitate, scilicet homo plenus fide; Et quid est plenus fide? quoniam in illo inuenitur tota fides. Hęc illi. In quibus inter cœtera miranda, quæ dicunt palam ostendunt, ipsum Dei Verbum, siue Dei Filium verum Deum verumq. hominem esse, de cœlo enim descendit, sumpsitq. corpus de fœmina, cuius Sanctitas cunctorum hominum Sanctitatem antecellit. Quid clarius? quid manifestius hi Rabbini, qui tot annis Christi aduentum præcesserunt?

Ijdem authores, in hoc repleti Spiritu sancto de Christi Incarnatione exponunt illa verba Iob 19. Et ex carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

54 Sed quod mirabilius est, non tantum Incarnationem in se diuino afflati Spiritu prædixerunt Prophetę, verùm, & modum Incarnationis, nimirum Redemptorem constare debere ex duabus naturis in vnica persona siue vnico supposito.

Audi, si placet, ea quæ leguntur in Beressit Ketanna scilicet in expositione Genes. minori super il-

lud

Iud 28. cap. Et accepit de lapidibus loci illius: Rabb. legunt. Tres lapides accepit, scilicet Iacob, & dixit, Si Deus vnit nomen suum super me, quemadmodum vniuit super patres meos fiant omnes vnus. Stetit, & inuenit omnes vnum effectos. Et eodem loco. Et accepit lapidem, quo verbo docet omnes vnum effectos esse. Cap. 28.

Isti exponunt. Duorum quippe lapidum, vnio duarum naturarum, Diuinitatis scilicet, & humanitatis, vnionem in Christo significauit, trium vero, trium substantiarum Verbi, scilicet Animæ, Corporisq. in vna Christi persona designauit vnionem. Quid manifestius?

In eundem prorsus sensum trahuntur verba illa Isaiæ 23. Et erit in die illa, & oblita erit Ezor. 70. annis, sicut diebus Regis vniti. Quid est Rex vnitus? scilicet Messias vnitus duabus naturis, diuina scilicet & humana.

55 Et ne meram Christianorum vanitatem esse arbitreris, quæ dixi, Christum Dominum, non tantum purum hominem, quem & tu confiteris, sed etiam verum Deum, verumq. Filium Dei in Sacra veteris Testamenti Scriptura pluries vaticinatum fuisse, pro comperto habe.

Lege quæso verba illa Psal. 2. Quare fremuerunt gentes &c. quem psalmum omnes Hebræorum magistri de vero Messia exponunt. In calce itaque eiusdem Psalmi ita legitur: Osculamini Filium, ne irascatur, & & perdatis viam; quoniam exardescet quasi modicum ira eius; Beati omnes sperantes in eo: En quomodo ad hoc osculum Filij Dei suscipiendum, Iudices terræ Dauid sanctus monebat ac consequenter non purus homo, & purus Deus futurus erat. Psal. 2.

Psal.85. Hoc est idem quod scriptum est Psal.85. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Osculum autem istud quo osculando Dei Filium Dauid monebat, non erat nisi eruditio, atque doctrina ex proprio ore Dei proferenda.

Per illud pariter probatur Christum esse verum Dei Filium, quod Deus ipse sic de eo in Psalm. 79. affatus est. Ipse inuocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & fortitudo salutis meæ; Ego quoque, subiungit, primogenitum dabo eum, Altissimum Regibus terræ.

Psal.79.

Et tandem omnes Rabbini de Christo vero Dei Filio exponunt Verba illa Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te; Cum autem Filius Dei sit idem omnino, quod ipsemet Deus, habeatq. quicquid ad diuinitatis essentiam pertinet, vti habet Pater, sicut dictum est in tractatu Sanctissimæ Trinitatis num: 8. prçter id, quod est esse Patris, sequitur ipsum esse verum Deum, vti & verum hominem simul confitemur.

Et hoc est quod Hieremias dixit. In tempore illo germinare faciam Dauidi germen iustitiæ, itaut sicuti Messias, qui erat germen Dei, scilicet Filius Dei secundum diuinitatem, futurus pariter esset germen Dauid, scilicet Filius Dauid secundum humanitatem.

56 Sed nullum alium futurum Saluatorem, ac Redemptorem fore præter Deum, qui se ipsum in humanæ Redemptionis pretium daturus erat ex veteri Testamento comprobatur.

Cap. 44. Isaias enim 44. cap. in persona Dei loquens sic scriptum reliquit; Ego Deus, & non est absque me Saluator.

Cap. 14. Quod confirmatur ex Hosea 14. cap. sic loquente: Et ego Dominus Deus tuus ex terra Aegyptiorum, & Saluator non est præter me.

Idem

Idem Isaias 45. cap. Israel saluatus erit in Deo, vel per Deum saluatione sempiterna. *Cap. 45.*

Dauid Psalm. 93. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & saluabo eum; sic loquitur in Talmud. *Psal. 93.*

Isaia cap. 42. Dicite filiæ Syon. Ecce Rex tuus Saluator veniet tibi. *Cap. 42.*

Et Dauid Psalm. 117. & 80. Salua dexteram tuam, & exaudi me, & suscita potentiam tuam, & tua erit saluatio nostra. *Psal. 117. & 80.*

Idem Isa. 35. Deus ipse veniet & saluabit nos, & tunc aperientur oculi cæcorum. *Cap. 35.*

Item 45. Verè tu es Deus Israel absconditus, Deus Israel Saluator. *Cap. 45.*

Baruch. 3. Hic est Deus noster. lege vsque ad illud. Et cum hominibus conuersatus est; & postea inuenies loqui de vero Deo Israel, qui legem dedit Populo suo, quem postea cum hominibus conuersatum fuisse per humanitatem assumptam, affirmat. *Cap. 3.*

Zacharias 2. cap. Hæc dicit Dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos. Et infra, Lauda, & lætare filia Syon, quia ego venio, & habitabo in medio tui, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum die illa, & erunt mihi in populum, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Vbi Deus, & Dominus exercituum missus dicitur à Deo exercituum, ad saluandas gentes, & congregandam Ecclesiam ex Iudæis, & gentilibus. *Cap. 2.*

Idem cap. 12. Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me quem confixerunt. Vbi verus Deus est qui loquitur, promisitquè se daturum Spiritum suum, & tamen dicit se esse crucifigendum. *Cap. 12.*

L 2 Idem

Cap. 13. Idem cap. 13. In perſona veri Dei Redemptoris ſic vaticinatus eſt. In die illa diſperdam nomina idolorum de terra. Et infra, perſonam æterni Patris effingens. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Reſpondit Filius. His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Cui adſtipulatur locus ille Pſal. foderunt manus meas, & pedes meos &c. Multa & ferè alia innumerabilia Sacrę Scripturę loca tibi adducere poſſem, ſed pro nunc hæc ſufficiant.

57 Ad hoc autem vt eſſet perfectus Redemptor, Deus & homo eſſe debebat. Hoc apertiſſimè colligitur ex
Cap. 33. illo Iob 33. cap. Duabus vicibus à Deo remiſſio facta eſt, tertiam vero fecit homo. Et mox ſubiungit; vt redimeret animas de inferno, daretq. eis vt lucerent in vita, per hanc autem vitam, intelligimus gloriam Paradiſi.

Redemit ergo in quantum homo, & in quantum Deus, in quantum homo paſſus eſt Crucis mortem, in quantum Deus redemit animas de inferno.

Ad hunc eundem ſenſum trahuntur illa Iſaiæ verba. Et venit in Syon Redemptor plenus, & perfectus; nam vt habetur in Echa Rabbethi, ſcilicet in expoſitione planctus Ieremiæ. Quemadmodum non fuit captiuus Iſrael, niſi per Rodeph malè, ſcilicet perſecutorem plenum; ità non redimetur, niſi per Goel malè, ſcilicet per Redemptorem plenum, ſeù perfectum. Ex quibus patet, ratione diuinitatis, plena, & perfecta ad redimendum, & ſaluandum, Meſſiæ pòtentia; At clarum eſt hunc Meſſiam non fuiſſe paſſum quoad diuinitatem, ſed quoad humanitatem, ergo in quantum Deus & homo fuit perfectus Redemptor, & talis eſſe debebat.

58 Et vt ſcias, ea, quæ Chriſtiana Religio confitetur,

ni-

nimirum Mundum per remissionem generalem omnium peccatorum saluandum fore per mortem Sanctissimæ Crucis à Christo vero Deo, veroq. homine subeundam, non carere fundamento, ac mysterio, (vt arbitraris num. 21. 22. & 48. ac 73. quibus in locis, & remissionem peccatorum, siue potestatem dimittendi peccata absque fundamento, & ratione, esse Christianorum vanitatem fingis) perpende quæso, quæ ad hoc propositum colliguntur ex veteri Testamento.

Et quod per generalem peccatorum remissionem genus humanum erat saluandum, habetur in libro Yoma, scilicet dierum capite vbi sic legitur. Magna est pœnitentia, propter vnum enim, qui acturus est pœnitentiam, vniuersum mundum absoluentes erunt, dicit propter vnum, qui acturus est &c. non pro se hanc pœnitentiam acturus erat, cum peccatum nullum habiturus esset, vti Isa. testatur cap. 53., qui nec *Cap. 53.* peccatum fecit, nec fuit dolus in ore eius, sed pro humano genere agere pœnitentiam debebat, in quantum pœnam peccatorum totius humani generis subiturus erat, iuxta illud Isa. eod. cap. dictum; Verè languores nostros ipse tulit &c. dicit absoluentes erunt; propter diuinarum personarum Trinitatem, in vna essentia, quæ ad remissionem peccatorum simul concurrere debebant. Et hanc traditionem loqui de Christo Redemptore apertè colligitur ex illo Hoseæ *Cap. 14.* 14. cap. Sanabo peruersitatem eorum, diligam eos gratis, & spontè, quoniam auertetur furor meus ab eis, quæ verba à Rabbi Mayr: & Rabb. Ionatha de Messia interpretantur.

Hoc est, quod Psalmographus Psal. 85. apertè meminit, Conuerte nos Deus, salus nostra, auerte iram *Psal. 85.*

tuam

Cap. 13. Idem cap. 13. In persona veri Dei Redemptoris sic vaticinatus est. In die illa disperdam nomina idolorum de terra. Et infra, personam æterni Patris effingens. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Respondit Filius. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Cui adstipulatur locus ille Psal. foderunt manus meas, & pedes meos &c. Multa & ferè alia innumerabilia Sacrę Scripturę loca tibi adducere possem, sed pro nunc hæc sufficiant.

57 Ad hoc autem vt esset perfectus Redemptor, Deus & homo esse debebat. Hoc apertissimè colligitur ex illo Iob 33. cap. Duabus vicibus à Deo remissio facta est, tertiam vero fecit homo. Et mox subiungit; vt redimeret animas de inferno, daretq. eis vt lucerent in vita, per hanc autem vitam, intelligimus gloriam Paradisi. (Cap. 33.)

Redemit ergo in quantum homo, & in quantum Deus, in quantum homo passus est Crucis mortem, in quantum Deus redemit animas de inferno.

Ad hunc eundem sensum trahuntur illa Isaiæ verba. Et venit in Syon Redemptor plenus, & perfectus; nam vt habetur in Echa Rabbethi, scilicet in expositione planctus Ieremiæ. Quemadmodum non fuit captiuus Israel, nisi per Rodeph malè, scilicet persecutorem plenum; ità non redimetur, nisi per Goel malè, scilicet per Redemptorem plenum, seù perfectum. Ex quibus patet, ratione diuinitatis, plena, & perfecta ad redimendum, & saluandum, Messiæ potentia; At clarum est hunc Messiam non fuisse passum quoad diuinitatem, sed quoad humanitatem, ergo in quantum Deus & homo fuit perfectus Redemptor, & talis esse debebat.

58 Et vt scias, ea, quæ Christiana Religio confitetur, ni-

nimirum Mundum per remissionem generalem omnium peccatorum saluandum fore per mortem Sanctissimæ Crucis à Christo vero Deo, veroq. homine subeundam, non carere fundamento, ac mysterio, (vt arbitraris num. 21. 22. & 48. ac 73. quibus in locis, & remissionem peccatorum, siue potestatem dimittendi peccata absque fundamento, & ratione, esse Christianorum vanitatem fingis) perpende quæso, quæ ad hoc propositum colliguntur ex veteri Testamento.

Et quod per generalem peccatorum remissionem genus humanum erat saluandum, habetur in libro Yoma; scilicet dierum capite vbi sic legitur. Magna est pœnitentia, propter vnum enim, qui acturus est pœnitentiam, vniuersum mundum absoluentes erunt, dicit propter vnum, qui acturus est &c. non pro se hanc pœnitentiam acturus erat, cum peccatum nullum habiturus esset, vti Isa. testatur cap. 53., qui nec peccatum fecit, nec fuit dolus in ore eius, sed pro humano genere agere pœnitentiam debebat, in quantum pœnam peccatorum totius humani generis subiturus erat, iuxta illud Isa. eod. cap. dictum; Verè languores nostros ipse tulit &c. dicit absoluentes erunt; propter diuinarum personarum Trinitatem, in vna essentia, quæ ad remissionem peccatorum simul concurrere debebant. Et hanc traditionem loqui de Christo Redemptore apertè colligitur ex illo Hoseæ 14. cap. Sanabo peruersitatem eorum, diligam eos gratis, & spontè, quoniam auertetur furor meus ab eis, quæ verba à Rabbi Mayr: & Rabb. Ionatha de Messia interpretantur.

Cap. 53.

Cap. 14.

Hoc est, quod Psalmographus Psal. 85. apertè meminit, Conuerte nos Deus, salus nostra, auerte iram *Psal. 85.*

tuam

tuam à nobis; nunquid perpetuo irafceris in nos, extendes iram tuam in generationem, & generationem? Nonnè tu conuerfus, vel pœnitentiam agens, viuificabis nos, & populus tuus lætabitur in te?

59 Si igitur interroges, quænam erat pœnitentia hæc, quam in remiffionem peccatorum totius Mundi Chriftus acturus erat?

Refpondetur. Crucis paffio, quam pro nobis fubire debebat; Quapropter ex Cabalifticis fuper illud
Pfal. 39. Pfal. 39. Retro, & ante formafti me, & pofuifti fuper me volam tuam, id eft, manum tuam, comprobatum remanet; habent enim Deum, hominem inferiorem ad imaginem hominum fuperiorum duos vultus habentem, anteriorem fcilicet & pofteriorem, creaffe; homines fcilicet & Angelos, & inuenitur in illo appetitus bonus, & appetitus malus, & funt duo Angeli, licet vnus illorum fit Angelus malus, alter vero fit Angelus bonus. Et hoc eft Secretum contentum in eo, quod dicitur, ante, & retro.

60 Sed magis confirmatur ex illo num. 21. vbi fupre-
Cap. 21. mus Legiflator Duci Moyfi præcepit; vt ferpentem æneum fabricaret, eumq. poneret fuper lignum, ad hoc vt omnis, qui percuffus fuerit, & afpexerit eum vita viueret. Quid, quæfo, nobis hoc admirabile factum infinuat, nifi, quod quicumque morfus fuerit à ferpente peccatorum, refpiciens in ferpentem in arbore collocatum femper viuet, & quoniam ex arbore vitæ hæc arbor excifa fuerat, quæ in Paradifo fita erat Angelorum manibus, & arbor Crucis ex illa arbore erat, vt ex Rabbi Haccados in lib. Galerazoya, quem reuelatorem arcanorum nuncupauit, refpondente ad quartam Antonini Confulis Vrbis Romæ petitionem apparet, propterea, eius diuini

fru-

fructus Salutem Mundo afferre debebant.

Consimiles apud nos, & ferè innumerabiles inueniuntur prophetiæ, hanc arborem vitæ comprobantes, quas breuitatis causa omitto.

61 Non igitur adoratio Crucis apud Christianos est fabula, & quid fictitium, vt tuis vtar terminis, quemadmodum num. 47. & 48. arbitraris, cum maximum in Sacro veteri Testamento fundamentum habeat. Duplex quapropter habetur apud nos Crucis & aliarum imaginum adoratio. Absoluta & respectiua, prima adoratione non adoramus lignum Crucis, imaginesq. alias ligneas Petri, Pauli, atque aliorum Sanctorum vt sunt per manus hominum fabricatæ, quia vt sic euaderemur Idololatræ, sed secunda adoratione, quatenus scilicet nobis representant imagata vera, & realia, quatenus existunt, & viuunt in Cœlis corona gloriæ laureata; Vnde licet res illæ sint inanimatæ, propter habitudinem tamen, quam habent ad Deum, & Sanctos, adorantur à nobis; proinde Crux præcisè illa vera, in qua Saluator noster pependit, propter contactum Sacri eius Corporis, & Sanguinis, inter pretiosissimas reliquias apud nos habetur, & adoratur, sicuti & aliæ Cruces, quatenus illam in qua Christus pependit insinuant, & figuram Crucifixi Domini repræsentant, adorantur, & venerantur. Et si hoc fit de imaginibus, multo magis de Sacris Sanctorum reliquijs, quorum felices animæ in Cœlis æterna vita requiescunt, fieri necesse est. Si enim vobis, qui velluti cæci Nicticoraces in cæcitate errorum semper versati estis, licet prophano cultu Sacrilegi vestri Maumeti, (cuius infelix anima in Inferno manet, manebitq. per æternitatem) nefandissimas reliquias, Arcamque ipsius venerari; cur nobis, qui & per reuelationem, & per

Duplex Sãctissimæ Crucis, aliarumque imaginum adoratio.

Non Christiani, vt num. 33. habes.

& per comprobationem miraculorum indubitatam scientiam, & certitudinem habemus de tot Sanctorum, atque Sanctarum beatitudine, Sacras eorum reliquias, non ea adoratione, quam arbitraris num.47. sed vera adoratione respectiua, vt dictum est, non licebit venerari? Conclude, Princeps, nihil in Sacro Redemptionis opere reperiri, quod fundamento careat; nihilq. à Christiana Religione teneri, quod indubitatam certitudinem non retineat, præsertim cum omnia in veteri Testamento fundata sint; Si enim Christus, vt breuitatis causa cœtera omittam, passus
Cap. 50. est flagella, iam de illo prius Isa. 50. vaticinatus erat; Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.

62 Si idem Christus crudeli morte iniustè condemnatus est, en totum à Dauid prædictum; Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.

Si inter duos sceelestes homines passus est, & cum sceleratis reputatus est, prius dixerat Isaias. Et apud Alchoran. cap. 28. & cap. 42. hoc idem habetur licet sibi contradicat. c. 11.

Si manus, & pedes omni impietate velati fortissimis clauis Iudæi foderunt; En Dauid in persona eius declamans: foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.

Si amaro felle, & aceto os eius Sacratissimum potarunt, en Isa. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea &c.

Si per tres dies mansit in Sepulchro à die Veneris ante Solis occasum, quia post ipsum statim incipiebat Sabbathi solemnitas, in qua nihil illis qui Sanctissi-

mum

mum Christi corpus ministrarunt facere licebat vsque ad primam diem Sabbathi, quæ ab Hebræis diceb atur vna, postmodum à Christianis in honorem Dominicæ Resurrectionis, dies Dominica dici cœpit, qua summo mane, seù valdè diluculo, vel paulò ante, cum adhuc tenebræ essent propria auctoritate, atque virtute, à mortuis resurrexit, exijtq. mirabiliter, clauso remanente Sepulchro; Si hęc Christus Dominus gessit, prius etiam Ionæ in ventre Cœti per tres dies permanentis figura præcessit.

63 Hoc idem confessus fuit Isaias 51. cap. dum de corporis Christi incorruptione, deq. eius Resurrectione dixit: Cito clausus, vel mobilis ad aperiendum, & non morietur ad corruptionem, nec diminuetur caro eius, cui adstipulatur manifestè Hosæas 6. cap. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus ante faciem eius. *Cap. 51.* *Cap. 6.*

Si post mortem suam ad inferos verè, realiter, atque præsentialiter, secundum diuinitatem, & eius animam, & non quod per hunc descensum passus sit pœnas Inferni, vt aliqui falso putarunt, descendit, animasq. electorum secum in Cœlum eduxit, prius multorum Prophetarum oracula præcesserunt; Et primo Hoseas cap. 13. apertè loquitur, de manu Inferni redimam eos, à morte liberabo illos. *Cap. 13.*

Isaias cap. 35. Et redempti Dei ridebunt & venient & intrabunt in Syon, vbi per Syon Paradisus intelligitur, vt ex illo Dauid. Lauda Deum tuum Syon, colligitur. *Cap. 35.*

Et Genesi 47. Ipsemet Deus in Spiritu loquens sic affatus est. Ego descendam, & educam eos in Paradisum, sintq. læti in gloria Dei. *Cap. 47.*

Dauid Psal. 107. Contriuit portas æreas, & vectes *Psal. 107.*

M fer-

Cap.24. ferreos confregit. Idem pariter habetur in Ecclesiast. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.

64 Si denique Christus propria virtute miracula operaturus erat ad differentiam eius Apostolorum ac Prophetarum, qui illius virtute, atque potentia mirabi-
Cap. 35. liter operati fuere, inter alios hoc prædixit Isaias c. 35. dum dixit: Deus ipse veniret, & saluabit nos, & tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patefient: tunc saliet tanquam ceruus claudus, & decantabit lingua muti &c. multiq. alij Sanctissimi Prophetæ hanc veritatem prophetarunt.

Miracula Christi insinnantur ex Scriptura.

Sed quid mirabilius inueniri potest, si vos ipsi huius gloriosissimi nominis Christi, eiusq. gloriæ & famæ velatores; huiusmodi Christi opera, atque miracula, volentes, atq; nolentes recipitis? In Alcorano enim, inter cætera habentur hæc verba; quod Gabriel Angelus ad Mariam Virginem à Deo missus fuit, qui ei conceptum Domini Iesu sola Dei virtute absque virili semine nunciaret; deinde quod matri Iudæos fugienti, ac esurienti palmam inclinari fecerit, vt ex Dactilis eius comederet, & vt biberet ad palmæ radicem, fontem erumpere fecit. Et quod Dominus Iesus iam grandis factus mortuos suscitabat, mundabat leprosos; illuminabat cæcos, curabatq. solo Verbo cuiuscumque generis ægros. Et quod ipse Christus in Cælum à Deo est eleuatus, & inde in fine Mundi est venturus. Miraculum quoque septem dormientium, qui à Decio Cæsare ob Christi confessionem in quadam spelunca fortissimo muro conclusi fuerunt, & somno per 200. annos protracto, tempore Theodosij Imperatoris expergefacti sunt, & Christianæ fidei, &

fu-

futuræ Resurrectionis testimonium perhibuerunt; multaq; similia habentur in tuo Alcorano, quæ partim veritatem sapiunt, partim vero non, sed potius fabulosa, atque risu digna apud nos habentur. Non igitur verum est, quod num. 44. & num. 59. asseris, nullam scilicet esse inter Christi Summi omnium, tum hominum, tum Angelorum capitis miracula, ac eius discipulorum differentiam; cum, vt dixi superius, ipse solus, sola propria virtute talia operatus sit, Apostoli vero virtute illius, ac Spiritus sancti. Ipse talia operabatur, quia coniunctus erat Deo per naturam, qui erat ipsemet Deus, Apostoli vero, cæteriq. Prophetæ, Deo coniuncti erant per gratiam; quia veraces Dei famuli extiterunt. Christus habuit potestatem operandi miracula, principalem, vt Deus, meritoriam, vt homo, reliqui vero Prophetæ, atque Apostoli, meritoriam, non principalem habuerunt. Christus habuit absolutam: Prophetæ vero, & Apostoli delegatam. Christus potuit illam cæteris, vt Deus communicare, Prophetæ vero, & Apostoli nequaquam; Nec quæ dixi repugnantiam inuoluunt, si enim Hamet eius famulis, & familiaribus eandem potentiam, atque auctoritatem, quam per naturam habet, per gratiam communicare valet, vt quę per eandem auctoritatem operatur Hamet, operentur & famuli, cur non licebit Christo vero Deo, & Homini, eandem potentiam, qua miracula operabatur, eius discipulis communicare, vt talia quę ipse agebat, operarentur & Apostoli? Certè nulla aderit repugnantia.

In Cœlum quoque Christum ascendisse, Spiritum sanctum super Apostolos misisse, ac denique in fine Mundi non ad redimendum, (vt Iudęi stultè opinantur,) sed ad iudicandum venturum fore, fides Catho- *Mirabilis Christi Ascensio &c.*

lica firmiter tenet, & credit, hocq. non tantum propter noui Testamenti auctoritates, quas semper reijcis, verum, & propter Prophetarum oracula. Audi igitur, quę Prophetę de Christi ascensu cęcinirunt.

Michęas cap. 11. de hoc mysterio in Spiritu loquens sic diuinitus affatus est. Ascendet portellum faciens ante eos. Irrupuerunt, & transierunt portam, & egressi sunt super eam, & transibit Rex eorum ante eos, & Deus in caput ipsorum, quę verba non de alio, quam de Christo interpretantur ab omnibus expositoribus huius Prophetæ.

Psal. 67. Dauid Psal. 67. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus. In quo triumpho non inanis captiuorum pompa pręcedit, sed Triumphatorem ipsum committatur gloriosa captiuitas, ipsumq. ad eius ęterni Patris dexteram sedere beata visione repleta mirabilem intuetur, iuxta illud eiusdem Dauid. Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Et dum hunc Christi ascensum intuetur, Angelorum cętus occurrit admirans prę tanti mysterij stupore, reiq. nouitate perteritus sciscitatur. Quis

Isa. 63. est iste, qui venit de Edom? quis est iste Rex glorię? clamat Dauid, quibus respondit; Dominus virtutum ipse est Rex glorię, ideo Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portę ęternales, & introibit Rex glorię Christus, ipse enim vicit Mundum, spoliauit Infernum, & restituit Paradisum.

At neque desunt mirabilia Prophetarum oracula Spiritu sancti super Apostolorum missionem comprobantia. Ezechiel cap. 32. & 36. Et Spiritum, inquit, meum ponam in medio vestri. Et Isa. cap. 44. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super arridam. Effundam Spiritum meum super eos: Et iterum. donec

Cap. 32. & 36.

Cap. 44.

effundetur super nos Spiritus de excelso. Propter cuius admirabilem aduentum, tanta, atque tali fuerunt Apostoli induti virtute, vt illico timorem deponentes noua cæperint prædicare mysteria, ac per totum terrarum Orbem Christi fidem prædicare. *Missio Spiritu sancti super Apostolos.*

Ipsum denique in finem Mundi venturum fore ad iudicandum, mirabilem affirmarunt. Daniel, qui postquam descripserit huiusmodi aduentum subiunxit, Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Et ecce in nubibus Cœli, quasi Filius hominis veniebat, per Filium autem hominis, nullum præter Christum intelligit Christiana Religio. *Magni iudicij aduentus. Cap. 7.*

Ioel. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Iosaphat, & disceptabo cum eis, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. *Cap. 3.*

Malach. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniet dies Domini magnus, & horribilis. Consimiles auctoritates adducere possem, quas breuitatis causa omitto. *Cap. vlt.*

65 Hæc sunt (Princeps Clarissime) quæ de incarnati Verbi mysterio Sancta Mater Ecclesia, Sacro collustrata splendore sentit, hæc quæ firmiter credit, hæc quæ salubriter vbique prædicat, æternam vitam omnibus, qui huic admirabili mysterio fidem præstant, infallibiliter promittens.

CAPVT VLTIMVM.

SOluuntur Argumenta, quibus Hamet hoc admirabile mysterium impugnat. Sæpè sæpius mihi visum est, dum seriem argumentorum, ineffabile hoc Incarnationis mysterium impugnantium, labore tui intellectus concertatam, animaduerti, te Princeps, velut

velut alterum immanem Ogolih, vel Goliat, virum scilicet à fide, ac Religione alienum, contra Christianam veritatem ostendere, ad ipsamque cum gladio, hasta, & clypeo venire; sed animaduerte, te humanis tantummodo armis indutum aduersus Dei Ecclesiam incedere, quibus eam, præcipuè in hoc mysterio, debellare speras, neque enim nisi humanis consilijs, humanis rationibus, humanis dogmatibus, humanis doctrinis, humana fide, à diuina penitus discrepante, contra Catholicam Religionem pugnas, & si quid diuini scilicet veteris legis forte tibi vsurpas, mox humanis nouitatibus labefactas. At meminisse debes, totum, quod humanum est labile, nihilq. nisi diuinum esse stabile, ac diuturnum. Vnde, quod ad me pertinet, cum tuo hoc armorum genere, non proprio ingenio, non humano spiritu, sed diuinæ auctoritatis, & Sacræ Scripturæ regula metior; non in hasta, gladio, aut clypeo, sed planè internis Sacro suffultus auxilio ad te libenter venio, tuisq., pro viribus humanis, difficultatibus satisfacio, quas, licet ex tuo libro dispersim collegerim, in vnum tamen, (ordinatè procedens) reduxi, easq. in medium affero.

66 Primo. Colligitur ex num. 2. Aeternum non potest esse nouum, neque è contra, sed Christus est nouus in natura, necessarium in essentia est æternum in natura, ergo vnum non potest vniri alteri.

Respondetur. Nullam prorsus esse hanc tuam illationem, procedit enim ex falsa imaginatione, propterea quod putas, in hoc mysterio humanam naturam ità cum diuina compositam, in ipsamq. conuersam fuisse, vt omnino vna quoad omnes proprietates, quovè ad intrinsecam rationem facta sit altera, quod penitus à fide Christiana est alienum; asserimus enim di-

diuinam fuiſſe humanæ vnitam, vt non tamen inter illas facta ſit vlla commixtio, ſed impermixtè penitus, & indiuisè, mirabiliter in earum proprietatibus, remanſerint, vnde diuina æterna, humana temporalis, remanſit.

Secundo. Si Chriſtus vnitus eſt præexiſtenti neceſſario, ergo oportet, vt Deus ſit de eodem genere, loco, poſitione, de qua eſt Chriſtus, hoc eſt inconueniens, ergo.

Reſpondetur. Chriſtum duplicem importare naturam, diuinam ſcilicet, & humanam, quoad primam, eſt de eodem genere ſubſtantiæ diuinæ, de qua ſunt Pater, & Spiritus ſanctus, quoad ſecundam verò, eſt diuerſus, quia vt ſic eſt etiam de prędicamento qualitatis, quantitatis &c. vti eſt purus homo.

Tertio. Si Chriſtus eſt Deus, & ipſe eſt compoſitus ex carne, & ſanguine, tunc oportet ipſum ſubiectari omnibus accidentibus, quare, & Deus ſubiectus erit huiuſmodi paſſionibus.

Reſpondetur negando præſuppoſitum, præſupponis enim humanam naturam conuerſam penitus eſſe in diuinam, & è contra, ideo quoad naturam humanam, ſubiectatur loco, poſitioni accidentali &c. non quoad diuinam.

67 Quarto. Si Chriſtus eſt vnitus Deo, ergo erit Dominus attributorum omnium, quorum eſt Deus, ſed hoc eſt falſum ergo &c.

Reſpondetur. Ex vnione hypoſtatica Chriſto multa fuiſſe dona creata, & infuſa collata, vt gratiam excellentiſſimam, ſapientiam maximam &c. quæ tamen non ſunt attributa Deitatis quoad eſſentiam, ſed eiuſdem Deitatis quoad participationem. Quando ergo aſſeris ſi Chriſtus &c. ergo eſt Dominus &c. dicimus,

ſi per

ſi per attributa intelligis diuina, & per Chriſtum intelligis ſubſiſtentem in natura diuina, ſic dico quod neque Chriſtus, neque aliqua ex diuinis perſonis habet dominium ſuorum attributorum, quia ipſa ſunt ipſamet eſſentia diuina non diſtincta realiter ab eſſentia; nec à perſonis; ſi autem per attributa intelligis dona creata, & infuſa, ipſi Chriſto collata, ſic dicimus Chriſtum in quantum Deum, ſicut cœteras diuinas Perſonas eſſe Dominum ſuorum attributorum, quantum vero ad humanam naturam habet illa per participationem, nos enim pariter Dei attributa per creatas qualitates, licet minus perfectè, quam Chriſti humanitas participet, participamus.

Quinto. Colligitur ex num.4. Si Chriſtus eſt Deus, & è conuerſo, ergo oportet, vt omnibus paſſionibus, quibus ſubijcitur Chriſtus, ſubijciatur pariter & Deus, ergo dum in horto preces ad Patrem effudit, vt eum à morte liberaret, planctum emiſit, factusq. eſt ſudor eius Sanguinis, velut aquæ decurrentis ſuper terram, quæ ſunt paſſiones, quibus Chriſtus ſubiectus fuit, Deus quoque ſubiacere teneatur.

Huic obiectioni reſponſum eſt num. 22. Planctum enim emiſit, precesq. fudit ad Patrem, vt homo, non vt Deus.

Sexto. Si Chriſtus vnitus eſt præexiſtenti neceſſario; ergo erit neceſſarium in eſſentia, atque infinitæ perfectionis, & ſic dum Chriſtus in deſerto obedientiam Diabolo præſtitit, illa obedientia fuit diuina, & dum Diabolus allocutus eſt Chriſtum, allocutus eſt eum vt ſupremum Creatorem: deinde, illa obedientia, vel fuit violenta, vel voluntaria; non prima, quia læſa fuiſſet omnipotentia diuina; non ſecunda, vt de ſe patet; Hoc idem habetur num. 57.

Re-

Respondetur, Diabolum vtique allocutum fuisse Christum, vti supremum Creatorem, quamuis illum non cognouerit, tamen negatur Christum illi vllam præstitisse obedientiam, imò reiecit illum, dum dixit, Vade retro Satana, Dominum Deum tuum adorabis, & illi solum seruies, & licet à Dæmone super pinaculum Templi sublatus sit, illa tamen non fuit obedientia, sed permissio, vti fuit Iudæorum Crucifixio.

68 Septimum. Si Christus est Deus, ergo Deus cōponitur ex partibus, quod repugnat simplicitati diuinæ; hocq. præsupposito necessario sequitur, Christum esse vnum ex his tribus modis; vel necessarium in essentia, vel possibile in essentia, vel compositum ex vtroque. Ex causa primi, sequitur necessarium non esse factum necessarium, sed suas tantummodo partes esse necessarias, quod vnitati absolutè necessarij refragatur: Ex causa secundi, sequitur necessarium præexistens participasse de necessario possibili; Hocq. idem sequitur ex causa tertij.

Christi nomen nō naturam, sed personam importat.

Respondetur: Et pro responsione animaduerte, hoc Christi nomen non naturam, sed personam importare, vnde sicuti dicimus in Sanctissima Trinitate alium, & alium propter numerum personarum, non tamen aliud, & aliud propter naturæ vnitatem, ita & in Christo philosophandum est, cum diuinitatis humanitatisq. naturas importet; Quando ergo asseris, vel Christus est necessarium in essentia, vel possibile in essentia, vel compositum ex vtroque; dico, quoad diuinitatem est necessariam in essentia, nec tale factus est, sed semper fuit, quoad humanitatem est de genere possibilium, sed post Incarnationem dicitur necessarium per participationem, ratione scilicet vnionis humanitatis cum diuinitate, nec proinde sequitur ergo

quid compositum ex vtroque, sed benè quid vnitum ex illis.

Octauum. Multa dicuntur de Patre, quæ non dicuntur de Filio, ergo non sunt vniti inter se.

Multa in Euangelio de Christo, quæ nō dicuntur de Patre, & Spiritu sācto, & cur.

Respondetur dupliciter. Primò Multa dici de Christo in Euangelijs, quæ non dicuntur de Patre, vt ostendatur realis distinctio, non naturarum, sed personarum, quorum aliqua appropriatè conueniunt Patri, vt omnipotentia, aliqua Filio vt scientia, alia Spiritui sancto, vt bonitas &c. Secundò Respondetur. Multa dici de Christo, quæ non dicuntur de Patre, quoad humanitatem, vt quod Christus sit passus, mortuus &c. non enim possumus asserere Patrem, ac Spiritum sanctum passos, atque mortuos esse, at de Filio isthæc astruit Christiana fides.

Nonum. Colligitur ex n. 7. & præsupponit humanitatem Christi esse humanitatem vniuersalem, corporalitatem verò esse humanitatem particularem, & sic deducit essentiam diuinam subiectari passionibus Christi, & eius animam esse diuinitatem.

Ad nonum. Respondetur. Cum Verbum diuinum carnem factum adstruimus, per nomen carnis totum hominem significamus, nec humanitatem vniuersalem in abstracto assumpsisse dicimus, sed totam humanitatem scilicet principia constituentia hominem, formam consequentem compositum, ac tandem proprietates hominem consequentes, nec per hoc essentiam diuinam passionibus Christi subiectam annunciare, neque eius animam esse diuinitatem, vales, naturæ enim in supposito diuino penitus impermixtæ remanserunt.

69 Decimum. Si Christus est vnitus Deo, ergo erit eius diuina scientia, hoc est falsum, quia ipse confitetur se ignorasse diem iudicij, de illa die, inquit, nemo scit,

ne-

neque Filius hominis &c. hoc idem habetur num. 23.

Respondetur. Christum non ignorasse vltimum formidabilis iudicij diem, sed per illa verba. De die illa &c. nobis indicare voluit, cur non manifestet eum diem, & causam esse asserit, quia non didicit hoc à Patre, vt alijs reuelaret, sed vt sibi secretum hoc seruaret, quæ responsio in Sacra Scriptura fundamentum habet, Genes. enim 22. habetur; Deum seruum suum Abraham allocutum fuisse his verbis, Nunc cognoui, quod timeas Deum, id est, nunc ostendi tibi, & alijs quantum me colas; vel nunc feci, vt cognosceres, quia ipse, & sibi in illa tentatione probatus innotuit.

Christus nō ignorauit diem Iudicij.

Vndecimum. Si Christus est scientia Dei Patris, ac illi vnitus, tunc quando ipse mansit in vtero Matris, vel fuit idem, quod Deus, vel non, sed pars; Si primum ergo Deus constat ex partibus, si secundum, ergo Christus est pars essentiæ Patris.

Respondetur. Christum quoad diuinitatem fuisse idem cum Patre in essentia Patris, totumq. Deum, non partem extitisse, quo vero ad humanitatem diuersum, vt dictum est num. 10. in ente enim perfectissimo, & simplicissimo non datur pars, & pars.

Duodecimum. Colligitur ex num. 9. Vanitas Christianorum est, Christum scientiam Dei appellare, quia tunc oportet asserere ipsum diuersum esse in essentia à Patre, quod contradicit Christianæ Religioni.

Ad duodecimum Respondetur. Si loqueris de scientia prout est attributum appropriatum Filio, vti Patri appropriatur omnipotentia, sic dicimus Christū, vt dicit suppositū diuinum non esse diuersum in essentia à Patre, nisi personaliter; si autem per scientiam intelligis, vt sit donum creatum collatum animæ Christi,

ſic dico Chriſtum, vt hominem dici ſcientiam, ſiue habere ſcientiam diuinam per participationem diuinitatis, nec per hoc eſſentialiter diſtinguitur à Patre.

70 Decimotertio. Si Chriſtus eſt Deus, ergo de illo verificantur verba Ioannis. Et Verbum caro factum eſt &c. Pater dedit illi poteſtatem &c. Sed hoc eſt falſum, quia tunc expoliaſſet ſe tali poteſtate. Accedit, ſi Chriſtus eſt Deus, & Deus tradidit illi hanc poteſtatem, ergo dedit eam ſibi ipſi.

Reſpondetur. Patrem vtique communicaſſe Filio poteſtatem iudicium faciendi, non tamen ſequi ſe ipſum tali poteſtate expoliaſſe, ad inſtar cuiuſcumque terreni Regis, qui eius auctoritatem cuicumque communicare valet, nec tamen illa ſe priuare dicitur, vt experientia conſtat, nec ſibi ipſi dedit de nouo, quia illam ſemper habuit, vt Deus.

Decimoquarto. Colligitur ex num. 16. 17. & 18. (Quibus in locis multa obſcura habet, quæ omnia in idem redundant.) Sicut impoſſibile eſt lucem vniri tenebris, ità impoſſibile eſt Deum, tanquam ſupremam lucem, vniri tenebris humanitatis noſtræ.

Reſpondetur. Naturaliter loquendo impoſſibile eſſe lucem vniri tenebris, at Deus qui eſt ſuprema lux, nec in tenebris habitare valet, poteſt diuina ſua omnipotentia vniri tenebris, illaſq. eijcere, ad inſtar Solis &c. & ſic Sol diuinitatis mirabiliter vnitus eſt tenebris humanitatis noſtræ.

Decimoquinto. Colligitur ex num. 19. Si Chriſtus eſt Deus, ergo Deus planctum emiſit; probatur, quia Chriſtus in Cruce pendens, æternum eius Patrem alloquens, auxiliumq. ab ipſo petens, his verbis dixit Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me, planctum emiſit, quare &c.

Re-

Respondetur. Christum hæc omnia fecisse, quoad humanitatem, non quoad diuinitatem, vt dictum est num. 22.

Decimosexto. Si Christus est Deus propter hoc, quia est virtute Spiritus sancti plenus, ergo pari ratione, & Ioannes Baptista erit Deus, quia fuit tali virtute repletus hoc idem habetur num. 20. & 39.

Respondetur. Maximam inter Christi, & aliorum Sanctorum plenitudinem gratiæ differentiam reperiri; quadruplex enim est gratiæ Spiritus sancti plenitudo. Sufficientiæ, & fuit in omnibus Sanctis, & in omnibus, qui salutem suam quærunt. *Differentia inter gratiã Christi, atque aliorũ Sanctorum.*

Prærogatiuæ, & fuit in Beatissima Virgine.

Numerositatis, & est in Ecclesia.

Superabundantiæ, & est tantum in Christo. In Ioanne fuit plenitudo sufficientiæ, in Christo vero fuit superabundantiæ, & ideo non fuerunt vnum, & idem.

71 Decimoseptimo. Si Christus fuisset Deus, tunc non dixisset matri filiorum Zebedæi, non esse in sua potestate dare eius filijs Regnum; sed in potestate patris, & apud Diuum Marcum non esse nisi vnum Magistrum, qui est in Cœlis, vt confitetur &c.

Respondetur. Verum dixisse Christum, non esse in eius tantummodo potestate, dare filijs Zebedæi regnum cœleste, sed Patris, & Spiritus sancti, cum quibus pari prorsus maiestatis gradu præditus est, non tamen negat absolutè suum esse dare; sed inquit non est meum dare vobis, scilicet superbis, sed meum est dare humilibus, quibus gratiam tribuo meam.

Secundo Respondetur. Duplex fuit Christi Regnum, temporale, & æternum; Christus noluit dare temporale, nisi laborantibus, & propterea dixit, Po- *Duplex Regnũ Christi.*

testis

testis bibere Calicem &c. Calicem quidem meum bibetis &c. intelligens de Passione &c.

Decimumoctauum. Colligitur ex n. 24. Si Christus est Deus, ergo quod competit Spiritui sancto competit & Christo, sed apud Lucam habetur, quod si aliquis blasphemauerit Filium remittetur illi tale peccatum, sed si blasphemauerit Spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc sæculo, neq; in futuro, quare colligitur, vel Christum non esse Deum, vel minorem esse Spiritu sancto.

Ad decimumoctauum Respondetur. Quod aliud est peccare contra personas diuinas, aliud contra attributa vnius personæ, & non alterius, nam omne peccatum est contra Deum trinum, & vnum; distinguuntur tamen peccata contra attributa diuinarum personarum, nam peccatum ex fragilitate est contra attributum Patris, cui tribuitur omnipotentia; peccatum ex malitia est contra bonitatem diuinam, quæ tribuitur Spiritui sancto; peccatum ex ignorantia contra scientiam, quæ attribuitur Filio; quia verò peccatum per malitiam cœtera excedit in grauitate, ideo dicitur irremissibile, non vtiquè absolutè, sed quia cum difficultate remittitur, nec proindè sequitur Spiritum sanctum esse maiorem Filio, sed peccatum contra attributum Spiritus sancti esse maius peccato contra attributum Filij perpetrato.

72 Decimumnonum. Si Christus venit in mundum, vt hominum peccata deleret, & peccata illa erant infinita, quomodo poterat esse Christus principium, & origo talis remissionis? Accedit. Si Deus dedit illi talem potestatem, ergo prius non habuit talem potestatem.

Respondetur. Christum dimisisse hominum peccata,

cata, & vt Deum, & vt hominem, vt Deum principaliter, & effectiuè, vt hominem meritoriè, & ea ratione, qua erant infinita, ea ratione dimittebat, erant autem infinita non ex eorum natura, sed ratione obiecti offensi, nimirum Dei; quapropter ratione Deitatis illa dimittebat, & talem potestatem, vt homo prius non habuit, habuit tamen, vt Deus.

Quomodo hominum peccata dimitteret Christus.

Vigesimum. Colligitur ex num. 28. & 30. Si Deus habitu inuentus est vt homo, vt homines sua morte saluaret, necessariò debebant omnes propter talem aduentum eruditiores euadere, ac essent tempore Prophetarum; hoc autem est falsum. Accedit ad Christum non venisse nisi 120. homines, & vnam mulierem, quarè &c. hoc idem reperitur num. 36. &c.

Respondetur. Falsissimum esse Christum minorem vtilitatem attulisse mundo propter eius aduentum, ac attulerint Prophetæ, nam relictis alijs innumerabilibus Incarnationis effectibus, tres tantum in medio affero, qui ex prophetarum aduentu nullo modo sortiri poterant. Primus, quia destructa fuit Idololatria, tempore verò Moysis adorauerunt vitulum aureum, vt habetur Exod. 31. Secundus, statim viam salutis docere cœpit, iuxta illud Baruch. 3. cap. Veniet ad docendam viam salutis, per quam vnusquisque ad gloriam peruenire valebit. Tertius, quia solus Christus complens omnes prophetias (non Ioannes Baptista, vt adstruis num. 57.) de inimicis, Diabolo, & morte triumphauit, dum portas Inferni confregit, & ianuas Paradisi nobis aperuit, quæ non operati sunt Prophetæ. Ad id quod dicit de numero credentium: Respondetur oppositum haberi ex miraculis Christi; propter quæ Iudæi quærebant eum interficere, dicentes quid facimus, quia hoc homo multa signa

Effectus Sanctissimæ Incarnationis.

facit.

facit. Si dimittemus eum, sic omnes credent in eum.

Vigesimoprimo. Colligitur ex num. 32. Deus est diues in omnibus, Christus fuit pauper ergo.

Respondetur. Christum duo accepisse ex nostris in Incarnatione. Primum naturam integram cum omnibus, quæ ad eius perfectionem pertinent. Secundum aliquos defectus, vt famem, sitim, paupertatem &c. non tamen omnes, non enim accepit peccatum, vel fomitem peccati, ignorantiam &c. quia huiusmodi effectus ad essentiam naturæ integræ non pertinent, nec ad Redemptionem conducunt; Vndè licet assumpserit aliquas passiones, & defectus, non propter hoc licet inferre, ergo Christus non est Deus, in hoc enim admirabili pietatis mysterio, fuit Diuinitas humiliata, & humanitas exaltata; fuit ergo pauper secundum formam serui, non secundum formam Dei, vt alias dictum est.

Vigesimosecundo. Si Christus esset Deus non promitteret, se iturum ad Patrem, hoc facit ergo &c.

Responsum fuit num. 22. hæc scilicet & similia ipsum loquutum fuisse vt hominem, non vt Deum.

Vigesimotertio. Colligitur ex num. 35. Dauid prædixit in Spiritu venturum fore Prophetam magnum, qui Christum Dominum de genere hominis esse omnibus testatum relinquere debebat, ergo si est homo, cultus diuinitatis illi repugnabit.

Respondetur. Rectè Dauidem vaticinatum fuisse talem Prophetam nimirum Ioannem Baptistam, non Maumettum, prædicare debere Christum fore de genere hominis; fuit enim verus homo, & verus Deus.

73 Vigesimoquarto. Colligitur ex num. 40. Si om-

nium

nium rerum Creator est in Cœlo, absque dubio Christus cum sit partim in Cœlo, partim in terra, non erit Deus.

Respondetur. Christum non esse partim in Cœlo, partim in terra; sed secundum diuinitatem esse vbiq; iuxta illud Ieremiæ, Cœlum, & terram ego impleo &c. & Dauidis Psal. 138. Quo ibo à Spiritu tuo &c. Secundum humanitatem verò esse in Cœlo, quatenus eius Corpus visibile, & palpabile tantum spatium occupat, quanta est moles corporis, non tamen humanitas eius est vbique localiter, vt aliqui falsò imaginarunt. Cap. 23. Psal. 138.

Vigesimumquintum. Apostoli ex confessione Christi in Matth. 27. dicuntur Filij Dei, vti dicitur Christus, sed illi non sunt verè Filij Dei, Ergo nec Christus. Cap. 27.

Respondetur. Apostoli dicuntur Filij Dei denominatiuè, & adoptiui, Christus vero est naturalis, vt dictum est num. 40.

Vigesimumsextum. Si Spiritus est Deus, ergo oportet, vt ea, quæ dicuntur in Euangelio sint vera, sed falsum est ipsum mansisse per tres dies in Sepulcro ex Marc. 44. ergo &c. Cap. 44.

Ad vigesimumsextum Respondetur. Cum satis compertum sit iuxtà communem Hebræorum morem diē à media nocte incipere, & ad aliam vsque sequentis noctis medietatem perduci, certùm est Christum tribus diebus, tribusq. noctibus in Sepulchro mansisse, non quidem expletis, & integris, sed primæ diei dimidio, noctisque medio: secunda tota, integraque die, ac nocte: vltimæ vero noctis dimidio ac diei diluculo, cum non die Sabbathi, vt falso supponis, sed vna, vel prima Sabbathorum, quæ apud nos est Dominica dies, à mortuis, clauso remanente Sepul-

chro, Christus Dominus mirabiliter resurrexerit.

Vigesimumseptimum. Si Christus est Deus propter manifestationem miraculorum, ergo & Prophetæ &c.

Ad vigesimumseptimum Respondetur. Latam esse differentiam inter miracula à Christo, & ab Apostolis, atque Prophetis operata; nam Christus propria virtute talia operatus est, Apostoli verò virtute Christi.

Vigesimumoctauum. Colligitur ex num. 54. Non magis Christus est Filius Dei, ac sint Iudæi, qui vt viri Israelitici, vocantur Filij Dei.

Ad vigesimumoctauum Respondetur. Negando Christum non esse magis Dei Filium, ac sint Iudæi, ipse enim est Filius Dei per naturam, Iudæi verò per participationem; vt visum est supra.

Vigesimumnonum. Colligitur ex num. 57. Omnis prophetia terminata est in Ioanne Baptista, qui inter omnes nobilior fuit.

Respondetur. Negando omnem prophetiam terminatam fuisse in Ioanne, & concedendo ipsum fuisse nobiliorem, infra Christum, ac eius Sanctissimam Matrem ex confessione ipsius Christi: Nullus maior inter natos mulierum &c.

Trigesimum. Colligitur ex num. 57. Si Christus est Verbum Dei, & Verbum est apud Deum ex Ioanne primo, ergo Deus est apud Deum, quod est ridiculum.

Respondetur. Negando esse ridiculum, quia Deus secundum suam immensitatem, & naturam ità est intimè præsens sibi, vt nihil excogitabilius.

Secundo Respondetur. Licet tres diuinæ Personæ sint vnum in essentia, distinguuntur tamen à se inui-

cem perſonaliter, & dum dicit Verbum eſſe apud Deum perfecta diſtinctio inſinuatur.

Trigeſimumprimum argumentum. De Chriſto habemus ipſum deſcendiſſe de Cœlo, non ſic de Patre, & Spiritu ſancto; ergo non eſt Deus.

Reſpondetur. Chriſtum deſcendiſſe de Cœlo non per mutationem ſui, ſed per nouitatem effectus; dicitur autem hoc de Filio non de Patre, vel Spiritu ſancto propter rationes num. 3. primi Capitis adductas.

Ex omnibus, quæ hucuſque de Admirabili Incarnationis myſterio dicta ſunt, aliquas propoſitiones, quas Catholica Religio confitetur benignè percipe.

Prima. De fide eſt factam fuiſſe Incarnationem.

Secunda. Facta fuit ob humani generis Reparationem.

Tertia. Quamuis tota Trinitas effectiuè operata ſit Incarnationem, ſola tamen perſona Filij humanitatem aſſumpſit.

Quarta. In Chriſto poſt Incarnationem remanſerunt duæ naturæ integræ, & impermixtæ, diuina ſcilicet & humana.

Quinta. In Chriſto eſt tantum vna perſona ex duabus, & in duabus naturis exiſtens, & hæc perſona dicitur verus Deus, veruſq; homo.

Sexta. In Chriſto nullum fuit peccatum, ſed omnis diuinæ gratiæ, & ſcientiæ plenitudo.

Septima. Chriſtus verè, & realiter dolores paſſus eſt ſecundum humanitatem, ac pro toto humano genere mortem ſubijt.

Octaua. Secundum Diuinitatem, & Animam deſcendit ad Inferos.

Nona. Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Patris.

Decima. Et tandem venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos.

74 Hæc est grauis illa inter te, & nos in hoc admirabili Incarnationis mysterio, pugna, hic est conflictus, hæc sunt arma, hastæ, clypei, & gladij, quibus ad debellandum contra nos acriter accessisti. At Deo præstante, non fuit tam grauis pugna, aut pugil adeo viribus excellens, vt robustiorem, aut validiorem Antoganistam exposceret: Generosè pugnasti, totum confiteor, at diuinis munitus præsidijs responsionibus restiti; Hæc feci (Clarissime Princeps,) quia his, & non alijs armis tecta, semper de suis hostibus triumphauit Sancta Mater Ecclesia. Omnia vero, quæ hucusquè tùm in Tractatu Sanctissimæ Trinitatis, tùm Dominicæ Incarnationis discussa fuere, ita candidè, ita sincerè, ita benignè fuerunt facta, vt amicus potiùs, quàm aduersarius apud te haberi velim, & hæc libenter gessi, vt discas me imprimis sincera tantum veritate delectari, deinde non odio, non maleuolentia, non furore, non animi perturbatione (quod absit) sed pia tantum, ac suaui erga te Christiana veritate commoueri.

Propositiones quas admittit Christiana Religio circa Sanctissima Incarnationis mysterium.

Obiecta contra Euangelicam fidem, & doctrinam diluuntur.

CAPVT PRIMVM.

PORTAS inferi contra Sacrosancta Euangelicæ, Catholicæq. fidei dogmata nequaquam præualere Apostolis suis, & Petro præcipuè Christianæ Religionis, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ fundamento, humani generis Saluator Christus, pro-

misit; Idque dudum ad hæc vsque tempora impletum esse sic apertissimè constat, vt in dubium euocari non liceat. Quot persecutionum procellis, quot hæreseon ventis, quot Pseudoprophetarum turbinibus Petri nauicula in mundi huius Oceano periclitata est? Stetit tamen, & stabit; inconcussa restitit, resistetq. Ne igitur Princeps tanti facias, quæ contra nos congeris obiecta, argumenta, vel potius maledicta, vt ijs nos deterreri, vel penitus vinci existimes, quandoquidem nullius esse momenti, nulliusq. roboris ex responsionibus ipsis agnosces. Ad tria capita, vt ordinatè procedatur, argumenta tua reducenda sunt. Primum, quo probare conaris Moysi legem haud quaquam ex Euangelij promulgatione cessasse. Secundum, Euangelij Scriptores nonnullis sibi ipsis repugnantes, & inconstantes esse. Tertium per Alcorani legem, Euangelium abrogatum fuisse. Vt igitur prima obiecta diluam, id animaduertere necessum est.

Diuisio huius Capitis.

75 In veteri lege multa spectari posse, siquidem fuerunt ibi moralia, iudicialia, ceremonialia, promissa, ac demum Sacramentalia. Ad moralia spectant præcepta Decalogi. Ad iudicialia, decisiones legales, secundum quas ius vnicuique administrabatur. Ad ceremonialia, Sacrificia, & quæ circa ipsa fiebant. Ad promissa, Messiæ aduentus, saluatio æterna &c. Ad Sacramentalia verò, quæcumque Christi figuram gerebant, vt agnus Paschalis &c. Moralia, & præcepta cessare non debuerant, sed ijs, quæ præcepta erant, potiora addenda, vt ad perfectionem Euangelicam venirent. Iudicialia tamen, quæ propter duritiam Iudæorum rigorosa erant, idcirco tempore Messiæ euacuari debebant. Ceremonialia figuræ erant eorum, quæ in Messia, & à Messia fierent, quapropter,

Differentia inter moralia, legalia, atque iudicialia.

cum

cum ab ipso impleta fuerint, cessasse iam in confesso est apud omnes. Promissa itidem, quia plenè ab ipso Messia completa sunt; pariter, & Sacramentalia, quæ finem sumpserunt per Euangelium, Matth. 5. Dominus noster semel Apostolis dixit, non veni soluere legem, sed adimplere: non veni soluere quantum ad moralia, quæ non soluenda, sed perficienda erant, veni tamen adimplere reliqua, quæ cum impleta fuerint, iam cessauerunt, succedentibus veteri testamento, nouo, Sacrificijs animalium, sacrificio immaculatæ victimæ Corporis, & Sanguinis Domini Nostri, ac demum vetustatem nouitas, lux noctem, vmbras, atque figuras veritas ipsa fugauit. Hinc facilè ad argumenta respondebimus.

Cap. 5.

Primum. Diuus Paulus (quem vt Magistrum, & Præceptorem gentium meritò veneramur) sæpè sæpius variationem legis ostendit, sed hoc repugnat Matth. 5., & non 8. vt citas, loca enim Euangelij, vt plurimum vera citatione afferens, sed capita capitibus addens, vt magis lubet, adducis, igitur &c. Quod autem variationem legis ostendat, & nos concedimus, & tu probare niteris, cum dicat 1. Cor. 1. Iudæi signa petunt, Græci Sapientiam quærunt, nos verò prædicamus Christum Crucifixum, quasi velit inferre, quicquid velint petant, nos legem missam facimus, solius Christi fidem toto cordis affectu complectentes.

1. Cor. 1.

Respondetur. Ex præmissis, quod Paulus, nec quiuis Christianus Doctor legem, quantum ad substantialia, vel moralia, vnquam cessasse asseruit; benè tamen quantum ad reliqua, vt ostensum est, nec Matth. locus obstat, cum intelligi debeat, prout exposuimus supra.

76 Secundum. Paulus legem obseruandam esse demon-

mon-

monſtrat, & tamen Circumciſionem aufert, quare &c.

Reſpondetur. Paulum docuiſſe legem ſeruandam quantum ad præcepta, & ſubſtantialia legis, non autem quantum ad ceremonialia, & reliqua, cœterùm cum Circumciſio non ad ſubſtantialia, & moralia, ſed ad ceremonialia ſpectet, iure meritò à fidelibus auferendam cenſuit, ſicut, & Sacroſanctus Apoſtolorum, *Per baptiſmum.* atque fidelium conſeſſus, qui ſub Pontifice Petro Hieroſolymis, ipſo naſcentis Eccleſiæ primordio, coactus eſt.

Tertium. Licebat in lege Moyſi libellum repudij dare, hoc Chriſtus reſpuit, ergo ſoluta eſt lex, quod fieri non potuit per illud, Non veni ſoluere &c.

Reſpondetur vt ſupra. Dare libellum repudij non pertinere ad moralia, ſed ad iudicialia, ſicut & lex de lapidandis adulteris, & ideò in lege gratiæ, & Euangelij innouanda, atque mulcenda erant.

Quartum. Lex vetuit carnem porcinam in commeſtione, hoc non ſeruatur in noua &c.

Reſpondetur. Conſimiliter illud præceptum ad moralia non pertinuiſſe, ac ideò immutari potuiſſe, non enim vilis animalis æſus coinquinat hominem, ſed vitia, & peccata.

Quintum. Petrus, & Apoſtoli omnes cenſuerunt, vt multa quæ in lege præcepta erant, haud ſeruarentur.

Reſpondetur. Ea, quæ non ſeruanda cenſuit Petrus, & cum eo Apoſtolorum cœtus non pertinuiſſe, ad ſubſtantialia legis &c.

77 Sextum. In lege permittitur iuramentum licèt non periurium, opponitur Chriſtus Dominus, nolite iurare neque per Cœlum, neque per terram, ſit autem Verbum veſtrum eſt, eſt, & non, non.

Re-

Per legem gratiæ non soluitur periuriũ.

Respondetur. Periurium prohibitum esse præcepto morali, hoc non est solutum, cum & à Christo præceptum sit, ei tamen quod perfectius est, additum fuit, vt non solum periurio non vterentur Christiani, verùm neque quidpiam iuramenti adsumerent, sed simpliciter vera proferrent, absque aliquo iuramento, quod omnino absolutissimæ perfectionis specimen præbet.

Septimum. Præcipiebatur Sabbathi solemnis ritus, & obseruatio; hanc tamen diem non obseruauit Christus, qui infirmo ea ipsa die sanitatem restituit, ergo &c.

Respondetur: Quod Christus ipse ad tunc temporis calumniatores Pharisæos, & huius ætatis fidei suæ detractores respondit &c. Nunquid ex hominis sanitate miraculosè die Sabbathi reddita, inobseruantia illius diei inducitur? Verum cum iusserit curatum, grabatum suum tollere, & ambulare, hinc fortè collegisse volueris in Christo Domino Sabbathi transgressionem. Cœterum in præcepto de obseruatione Sabbati aliquid fuit morale quod violari non licuit, & est vacatio Deo, & dininis, quod non violauit Christus, sed confirmauit in lege sua; fuit etiam ibi aliquid ceremoniale, scilicet taxatio septimæ diei, scilicet Sabbathi, & quantum ad hoc cessare debuit præceptum, & adimpleri, & sanctificanda erat prima dies, in qua Redemptionis nostræ mysteria operata sunt, sicque nulla est violatio præcepti, & inobseruantia debita legi &c.

Octauum. Ex Euangelio habetur nihil mali continere legem, transgressionemque eius illicitam, & criminosam esse, ergo non potuit, nec debuit abrogari.

Respondetur. Certum esse, quod lex Moysi à Deo tra-

tradita nihil continebat mali, verum quantum ad ea, quæ ceremonias, ritus, sacrificia, promissa, & iudicialia respiciebant, adimpleri debebant, ac cessare, perfici verò quantum ad reliqua, quæ non erant cessanda.

78 Nonum. In lege duo præcipua sunt: Primum est veritas, quæ creditur, & cui creditur: Secundum regulæ, & præcepta, quibus diriguntur credentium opera. Hæc autem præcepta, & regulæ spectari possunt, quantum ad ea, quæ inuoluunt malitiam in operante vt mechari, furari, &c. vel quantum ad aliqua, quæ malitiam non arguunt in operante, sed iuxta temporum, & morum variationem ordinata sunt, vt est de libello repudij in veteri lege &c. Hoc supposito argumento. Quantum ad primum lex vera variari non potest, pariter, & quantum ad illa præcepta priora, sed quantum ad ea postrema certum est, quod si variari potuit, & cessare lex per Euangelium, ita variari potuit, & cessare Euangelium per Alcoranum ergo aut non cessauit lex per Euangelium, aut si cessauit, etiam Euangelium per Alcoranum abrogatum est.

Respondetur. Ad suppositum, quod non est vniuersaliter verum de quacumque lege, sed de illa tantum, quæ à legislatore Deo ad tempus data est; non de illa, quę absque vlla limitatione data fuit.

Lex Moysi à Deo data vsque ad Aduentum Messię varianda, imò & cessanda erat, quantum ad illud tertium, scilicet ad ceremonias, perficienda vero quantum ad reliqua. At Euangelica lex, quę data est à Christo Domino vsque ad consummationem Sęculi, nec auferri potest, neque vllo pacto cessare. Pręterea quęcumque per Euangelium innouata fuerunt, vel addita, ea omnia summam perfectionem, ac sanctitatem

inducunt, vt de dilectione inimicorum &c. de Virginitate seruanda &c. Vnde quantum ad variationem mutata fuit in melius Moysi lex; At è contra, quæcumque à Maumeto decreta sunt contra Sacratissima Euangelij dogmata, (pace tua dixerim, amicus sanè es, sed magis amica veritas) ea omnia non impietatem modo, sed impudicitiam, socordiam, flagitia omnia resonant. Est enim dispar ratio inter Mosaicam legem ad Euangelium, & inter Euangelium ad Alcoranum; cum enim comparatur Mosaica lex Euangelio, comparatur lex temporalis legi sempiternæ, figura figurato, & minus perfectum ad complementum, & finem perfectionis: quando autem confertur ad Alcoranum lex Euangelica, confertur lex Dei ad legem Maumeti, lex Sanctissima ad impijssimam, lex quę nunquam est euacuanda ad eam, quæ quàm citissimè dissoluenda est. Potuit ergo, quin & debuit, lex Moysi per Euangelium Christi cessasse, nequiuit tamen Euangelium per Alcoranum auferri.

Dispar ratio inter Mosaicam legem, & Euangeliũ, & inter Euangeliũ, & Alcoranum.

Ad contradictiones Euangelistarum Respondeo.

CAPVT II.

79 MVLTI sunt ad hanc vsque diem ex Sacris Ecclesię Patribus, & Doctoribus, qui apparentes inter Euangelistas controuersias, seu pugnantia dicta, Euangelij expositione penitus diremerunt, adeo vt nullus ambiguitatis locus, nulla dubitandi occasio iamiam relicta videatur; Leuia sunt, quæ circa hæc attingis, ne tamen paruus ignis, magnam syluam incendat, respondere decreuimus, monentes primùm, non esse contradictionem inter eos

Scriptores, quorum alter recensuerit, alter vero tacuerit quidpiam siue totum, quod gestum est, siue aliquam ex circumstantijs illius facti. Cœterum si benè perpendantur Euangelistarum dicta, ipsæque Euangeliorum historiæ, nihil est in eis, quod mendacij poterit redargui, vel inconstantiæ Scriptorum. Examinemus igitur, quæcumque in dubium euocasti, an iure merito nec ne, Christianam fidem impugnes?

Primum. Asseruit Christus Ioannem Baptistam vltimum Prophetarum fuisse, & tamen alibi dixit, vt patet ex Matth. cap. 23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas &c. ergo &c. *Cap. 23.*

Respondetur. Ioannem Baptistam vltimum fuisse ex Prophetis veteris Testamenti; qui præcesserunt Messiam, fuit tamen primus noui Testamenti Propheta, qui induit Messiam, quem alij cecinerunt venturum, prodidit, vnde non Propheta tantum, sed & plusquam Propheta à Christo Domino nuncupatus est, & post ipsum plures fuere inter Christi sectatores Prophetæ, non qui Messiam venturum esse prædicerent, sed qui venisse iam testificarentur, & futura in Ecclesia diuino afflati Spiritu præuiderent, sicque nulla remanet contradictio.

Secundum. Christus Dominus Matth. cap. 11. (non tertio vt citas) dixit Ioannem venisse non manducantem, neque bibentem. Hinc duo colligis primum quod hoc contradicat Marco cap. 1. vbi dicitur, Ioannis esum fuisse locustas, & mella. Secundum, quod Ioannes sanctior fuerit, atque perfectior Christo &c. probas, quia Ioannes, vel non manducauit, vel tantum melle & locustis, vilissimo cibo, vsus est, Christus vero de omnibus manducauit, quin & conuiuijs sæpius interfuit, ergo &c. *Cap. 11.* *Cap. 1.*

Ioannis Baptistæ cibus. Respondetur primo. Exponendo Saluatoris dictum de Ioanne, postea diluendo obiecta, quæ inde infers. Dixit Christus quod Ioannes venit non manducans, neque bibens, intellige, sicut cœteri hominum &c. ex quo enim Ioannes à suæ pueritiæ annis, antra, desertaq. coluit, aspero vestitu, paupere victu, semper vsus est, ideo eum crebro commendauit Christus, tum quod non vestiretur mollibus, tum quod ferè dici posset, ipsum omninò non manducasse. Vnde Marcus asserens cibum Ioannis fuisse mella, syluestria, & locustas (vilæ adeo escæ genus, vt nonnulli dubitarint, an comedi possent) nequaquam aduersatur Mattheo, vel Christo dicenti, ipsum non manducasse, neque bibisse. Quod autem Ioannem Christo præferas, hanc ob causam nihil penitus est. Quis enim pauperior Christo, qui in omnibus, & per omnia paupertatem adeo coluit, cùm in vestitu, tùm in victu, cùm etiam in omnibus alijs, vt si nascentem contemplemur in stabulo, reclinatum cernere liceat, si viuentem, ieiunijs deditum, & mendicantem, si morientem, nudum omnino, ac sitientem. Nec est quod illum conuiuijs quinque exceptum reprehendas, siquidem non propter esum, sed propter peccatorum conuersionem eis interfuit; si cum Zacchæo conuiuat, ipsum eum cum multis alijs ad sui sequelam trahit, si cum Symeone Leproso Magdalenam à septem spiritibus, hoc est peccatorum Capitalium sordibus mundat. Similiter de alijs discutras, quę breuitatis causa omitto. Nec illatio tua aliquid valet. Ioannes vilioribus cibis vsus est ergo sanctior fuit Christo.

80 Tertium asseris Christi Euangelia post eius aduentum emissa fuisse, atque corrupta.

Respondetur opponi hoc argumentũ Alc. in c. Iona.

Se-

Secundo Respondetur. Nos habere firmam Christi de perpetuitate Euangeliorum promissionem. Et ero vobiscum vsq; ad consummationem Seculi. Et Portę Inferi non pręualebunt &c.

Tertio Respondetur. Per hoc argumentum sibi contradicere, nam Capite secundo num. 25. oppositum habet.

Tres Responsiones allatę sunt, quartam quoque addemus, nulla enim maior vnquam Sanctę Ecclesię Catholicę cura fuit, quam cognoscere, & dijudicare Scripturas Ecclesiasticas, ac sanissimo pariter, & Sanctissimo Conciliorum iudicio vera, ab apocriphis scripta decernere. conatus est humani generis hostis ab ipso nascentis Ecclesię primordio per tunc temporis hęreticos Sacras Scripturas, & Euangelia ipsa deprauare, verùm adeò de tam graui negotio solliciti fuere Ecclesię Patres, vt nihil omnino erroris irrepserit. Sunt, qui à Nicodemo Scriptum Euangelium autumant, Hęretici nomine Thomę Apostoli etiam scripserunt Euangelium, nomine Petri quoque, & Andreę, vltra illud, quod dicitur Nazzareorum scriptum esse Euangelium constat. Quid igitur est in causa, quod tantum quatuor recipit Euangelia vera, verosq. Euangelistas veneratur Ecclesia, cœtera respuit? nil aliud certè, nisi quia ad ipsam pertinet de veris Scripturis cognoscere, eas interpretari, confirmare, approbare, & quę circa ipsa sunt, quęcumque attingere. Si interroges Christifidelem, cur credat Euangelio Ioanni, vel Matthęi, Marci, aut Lucę? propter Ecclesię authoritatem proculdubio respondebit; Quapropter id certo certius scias, Euangelia, quę recipit Ecclesia, nullo pacto deprauata esse, sed pura, Sanctissima, omni mendacij, & suspicionis labe carentia

Peculiaris Ecclesiæ cura circa Scripturas Sacras.

tia &c. scimus tamen: nos vestrum Zona in Alcorano fuisse mutatum, vt ex Alfarchi cap. 13. & 10. atque Saracenorum historijs constat.

Quartum. Christus pro persecutoribus, & Crucifixoribus suis orauit, nos autem Iudęos persequimur, ergo discordamus ab Euangelio, & Euangelij ipsius auctore.

Respondetur. Nos non persequi Iudęos, nisi quoad malos mores, & eorum scelera, imò Ecclesia pro illis orat, non cogit illos ad fidem conuerti, multa illis benignè admisit, ac permisit, & denique de eorum salute sitibunda semel in hebdomada ad illos concionem de fidei Christianæ veritate omni charitate prędita, habetur.

Quintum. Christi Ieiunium per quadraginta dies durauit, nos autem Christiani ieiunium tantum vnius diei seruamus, semel in die quoque comedentes, ergo à Christo sumus discordes.

Respondetur. Quod ab Apostolorum temporibus hucusque consueuit Ecclesia quadraginta dierum Ieiunium obseruare in honorem Ieiunij, quod Christus Dominus, quando in desertum à Spiritu ductus est consecrauit, quod & Quadragesimam hanc, idcirco appellauerunt nostrates. Quod autem ieiunium nostrum non sit, quale fuit Christi Ieiunium, qui nihil eo tempore comedit, mirum non sit, nec à Christi doctrina discordans, miraculosè enim factum est, & diuina virtute, quod etiam satis clarum est de eius passione, vbi humanitas à virtute Verbi, quod ei vnitum erat, sustentata est, nè tàm graui, & iterato martyrio moreretur, sed vsque ad Crucifixionem duraret: Ceterum Christianorum Ieiunium Sanctissimum est, tum quod pręcipua obseruatio eius in abstinentia à pecca-

De ieiunij obseruātia, & institutione.

torum

torum sordibus, sita sit, tùm quod omnem ebrietatem, & crapulam amoueat, ijs tantum non carens, quæ ad naturæ sustentationem necessaria sunt.

Sextum. Lucas cap. 23. (non vltimo) asserit Simonem Cyrenensem à Iudæis angariatum, vt Crucem post Iesum tolleret, hoc autem repugnat Ioanni dicenti Christum sibimet baiulasse Crucem ergo &c. *Cap. 23.*

Respondetur. Nullam esse contradictionem inter Ioannem, & Lucam, vtrumq; enim factum est, etenim Christus sibimet baiulauit Crucem, & postquam tormentorum, quæ pertulerat grauedine, & Crucis pondere afflictatus, celeri pede, (quod in optatis erat Iudæis) Crucem ipsam ad Caluariæ Montem, vbi Crucifigendus erat, ferre non posset, angariatus est Simon vt post Christum, postquam Crucem iam portauerat Iesus, & ipse portaret. Vnde quod tacuit Lucas, expressit Ioannes absque vlla contradictionis nota &c.

81. Septimum. In Euangelio Marci scriptum est Magdalenam ad Sepulchrum Domini euntem vnum tantum vidisse Angelum, à quo de Resurrectione admonita est, sed hoc contradicit Ioanni asserenti vidisse duos vestitos albis &c. ergo &c. Item Magdalena currens nunciauit Petro resurrexisse Christum, & ad Sepulchrum rediens illum videre meruit, vt ex Ioanne habetur, sed hoc quoque repugnat Lucæ asserenti Petrum nequaquam vidisse Dominum ad Sepulchrum ergo &c.

Respondetur. Magdalenæ accessum ad Sepulchrum non vnum tantum fuisse ex Ioanne clarissimè colligitur. Primo enim accessit cum adhuc tenebræ essent, & vidit reuolutum lapidem, deinde redijt ad Apostolos, & iterum ad Sepulchrum reuersa est; cum primo igi- *De Magdalenæ accessu ad Christi Sepulchrum.*

igitur accessit, vnum vidit, qui & Custodes exterruit, & lapidem reuoluit, & de Christi Resurrectione testimonium, & nuncium tulit, & hunc primum accessum describunt Matthæus, & Marcus, de quo mentionem quoque facit Ioannes, sed quid factum sit præterijt. Quando autem redijt post cursum Ioannis, & Petri, duos inuenit, & hunc secundum accessum describunt duo Euangelistæ postremi, Lucas, atque Ioannes &c.

Ad secundam instantiam respondeo. Neque Petrum, neque Magdalenam reperijsse Dominum in Sepulchro, sed reperta tantummodo sunt linteamina Christi. Verum tamen est, quod Petrus, & Ioannes cum non inueniissent Dominum ex gaudio recesserunt à Sepulchro, & ad socios reuersi sunt; Perseuerauit Magdalena plorans, & ita apparuit illi Dominus, qui iam è Sepulchro surrexerat.

Octauum. In negatione Petri, longiùs ab Euangelistis scripturæ commendata, tres contradictiones obijcis.

Prima est inter Marcum asserentem bis cantasse Gallum, & Christum prædixisse Petro, antequam Gallus cantet bis, ter me negabis, & reliquos tres asserentes, semel tantum cantasse, & Dominum dixisse antequam Gallus cantet, ter me negabis.

Secunda inter Lucam dicentem, Petrum post negatum Christum fleuisse, quia Dominus illum respexit, & reliquos ob id fleuisse testantes, quia recordatus est Verbi Domini &c.

Tertia inter Lucam, & Ioannem, cum enim asserat Lucas Petrum ideo fleuisse, quia Dominus illum aspexit, oportebat, vt eodem loco reperirentur, sed Petrus erat foris in atrio, Christus in domo, ergo &c.

Re-

Respondetur ad primam instantiam, quod duplex est Gallicinium, alterum hora noctis sexta, alterum hora decima summo mane &c. vsitatè per Galli cantum intelligimus secundum Gallicinium, de quo mentionem fecerunt tres illi Euangelistæ post trinam negationem Petri, Marcus vero, qui rem exactiùs prosecutus est, non tantùm de secundo Galli cantu post tertiam negationem, narrationem instituit, verum & primi Gallicinij meminit post primam negationem; Sicq. nulla est controuersia. Quod autem ità sese res habuerit colligitur ex textu Ioannis, qui statim ac de Gallicinio scripsit, post tertiam negationem Petri, subinfert, sequens cœptam historiam de Passione Christi, erat autem mane. En quod isti tres locuti sunt de secundo Galli cantu post tertiam negationem, tacentes primum post primam, quod tamen non prætermisit Marcus, de secundo item Gallicinio cum alijs concordans. *De Petri negatione.*

Ad secundam instantiam Respondetur. Quod sicut nulla est contradictio inter Euangelistas ex quo Ioannes de respectione Domini, de recordatione Petri, & fletu ipse tacuit, ità si alij duo Marcus, & Matthæus respectionem non commemorent, sed recordationem, & fletum dumtaxat, non tamen contradicunt Lucæ, recordationem quidem, & fletum commemoranti, & vltra Domini respectionem describenti. Sanè ob id ante responsionem ad obiecta monuimus te, non esse in hoc contradictionem inter Scriptores eiusdem rei, si quis de illis taceat; quod alij commemorant. Supponunt ergo alij respectionem Domini, ex qua Verbi eius recordatus Petrus, cœpit amarè flere &c.

82 Ad tertiam instantiam Respondetur. Negando consequentiam, quia Christus erat in domo, & Petrus in

Q atrio

atrio: ergo Christus non poterat Petrum aspicere, experientia enim (quæ est rerum magistra) liquidò constat, aliquem in domo existere posse, & per ianuam domus, vel per fenestras alterum, qui est in atrio respicere posse; sic euenit in hoc facto Petri.

Respondetur secundo, quod tertia negatio à Petro in atrio facta est, vbi milites ad ignem sese calefaciebant, Christus vero intus erat, hoc tamen non obstante, quia Petrus testante Ioanne, ideo sequutus est Christum, vt videret finem, de Domino suo sollicitus, ob id atrium ingressus est, vt siue per ostia, siue aliundè quid ei contigisset inspicere posset; accedebat, & sinderesis propter negationes iam factas quapropter inspiciens, vt videret Magistrum, ab illo inspectus, & diuinitus illuminatus, errorem suum agnoscens, factiq. pœnitens exijt foras, & flere amarissimè cœpit, quapropter nulla relinquitur inter Euangelistas discordia.

Nonum. Scriptura Sacra, vbi vera fides continetur, non debet admittere, vel docere pugnantia de Deo, cui creditur; sed Euangelij Scriptura docet de Deo pugnantia: ergo ibi vera fides non est. Quod autem sint, & doceantur in Euangelio pugnantia. Probatur. Deum, certum est, esse simplicem non componibilem, vitam, scientiam, ęternum, immensum &c. sed in Euangelio adstruitur Deus, vt compositus, quia vnitus humanitati, & ideo componibilis, vt mortuus, vt temporalis &c. ergo in eo reperiuntur pugnantia &c.

Respondetur. Quod Euangelium nequaquam de Deo pugnantia docet, sed respuit &c. Veneramur enim Deum simplicem, non componibilem, & cum omnibus alijs attributis, & infinitis perfectionibus. hunc

ta-

tamen propter nos homines, & propter noſtram ſalutem hominem factum eſſe certiſſimum eſt &c. Quomodo autem ea omnia, quæ adducuntur in argumento inconuenientia, falſa ſint, liquidò patet ex tractatu de Incarnatione,& ſpeciatim cap. 1. num. 41. 42. & 43. vbi hæc omnia declarata, atque dilucidata ſunt, nimirum hæc omnia Chriſto accidiſſe quoad humanitatem, non quoad diuinitatem.

Reſponſiones ad vltima Obiecta.

CAPVT III.

83 ADEO falſa ſunt, quæ hoc vltimo loco adducis obiecta, tàm falſis referta dictis, tàm futilibus nixa ſuppoſitis, vt fortè leuitatis argui mereretur, ſi contra laruas haſce diſputationis certamen inſtitueremus. Niteris probare Maumetem nedum verum fuiſſe Prophetam, verùm, & Paracletum à Chriſto Domino in Euangelio ſuo promiſſum, legemquè ſuam Sanctam, adeò vt erroris redarguendi meritò ſint Chriſtiani, qui contra ipſam tum dictis, tum ſcriptis pugnant; ſatis puto probatum, hucuſque, quam falſum ſit aſſerere Maumetem Prophetam, & quam falſiſſimum æquè, ipſum Paracletum appellare, vt fuſius cũ agemus infra de Legiſlatoribus c. vlt. n. 2. nec permittit (cui ſtudere debeo) breuitas, vt quæ longiùs exarata ſunt iterum repetantur. Nihilominus, antequam ad reſpondendum ijs, quas obijcis, difficultatibus accedam, id tantum memoriæ reuocare lubet, non poſſe purum hominem, quamquam Sanctiſſimum, Paracletum dici, quis enim dicat hominem corporeum, mortalem, finitum, infinitæ naturæ, im-

mortalis, & incorporeæ suppositum esse? quomodo ergo poterit dici Spiritus sanctus, vel Paracletus, qui per omnia Spiritui sancto aduersatus est, tot scelerum flagitijs maculatus, tot in Deum blasphemjs inquinatus? Promissum fuisse Paracletum à Christo, venisse iam, illuminasse mundum, docuisse Apostolos, non negauerim, quinimò, & vita ipsa, & Sanguine hanc veritatem tueri paratus sum. Negauerim tamen, quod tu supponis; falsissimum quidem, hunc esse Paracletum, Maumetem, ipsum Prophetam, ipsum Dei Nuncium, ipsum Diuinæ legis Auctorem, ipsum denique vel probum virum. Et ex hac tantum sanissima, sanctissimaq. doctrina, omnia, quæ adducis argumenta ruunt. Quibus tamen, ne timori, aut mendacio tribuatur, singillatim respondeo.

Primum. Legitur in Prophetia Danielis, quod Nabuchodonosor Rex vidit statuam illam mirabilem, quę tamen à paruo lapide de Monte abscisso, contrita est; hinc colligis, quod Maumetes sit Paracletus, per lapidem illum expressus, à quo contrita est statua, scilicet diuersa, tot populorum Religio, sub vnaque Maumeti ipsius lege prostrata. Idque ideo probas; quia tot Nationes sub Saracęnorum secta viuunt, Indi, Persæ, Arabes &c.

Respondetur. Quod illius figuræ significatio satis superque ab ipso Propheta exposita est, vt patet in littera.

Secundò Respondetur illam inferiorem partem statuæ ruptam à lapide significasse Christum lapidem verum Messiam, qui omnium Imperium rumpere debebat, sic Rab. Abr. in Daniel. 2. Rab. Sal. super Isa. 8. & 28. Rab. Moys. Adarsan. cap. 28. in Genes. & 4. ac 8. in Isa. Ionat. Targ. 4. cap. Zachar. & Berescì &c.

Quid Danielis statua significet.

Rab.

Rab. in cap. 3. Zachar. non ergo per illam partem ſtatuæ intelligere debemus Maumetem.

Secundum. Is verè Propheta eſt, cuius Prophetia poſt triginta annos impletur, ſed Prophetiæ Maumeti, per 300., & vltra iam completæ ſunt, & complentur, ideo non ſolum Propheta, ſed etiam Paracletus iure aſſeritur.

Reſpondetur ſecundum id quod ſupra cap. 8. n. 3. dictum eſt, & inferius adducam. Vbi, quæ requirantur ad veram prophetiam, & verum Prophetam allatæ ſunt conditiones, ſatisq. probatum eſt, nequaquam in Maumete repertas fuiſſe, quod hic fruſtra repetendum non eſt. Cœterùm quod Prophetiæ Maumeti impletæ ſint, falſum eſt, tùm quia ſupponitur ipſum prophetaſſe, quod impium eſt aſſerere, cùm quia promiſſa, quæ ſequentibus ſe reliquit, nequaquam impleta ſunt, tam quoad ea, quæ ad animas pertinent, quam quoad Rempublicam eius, & Regnum. Et ſectatores quotquot habuit, & habet, non doctrinæ veritate, non prophetiæ teſtimonio, non ſanctitate vitæ, nec legis integritate, ſed trahuntur delitijs ſenſuum, quin potius immunditijs, quas ſuis promiſit, quod dilucidè patet ijs, qui verſati ſunt in hiſtorijs rerum geſtarum ipſius, & in lectione Alcorani.

84 Tertium. Argumentum non benè colligi poteſt propter obſcuritatem verborum, ſed ſi attendamus ad marginem libri, hunc habere ſenſum videtur, vt concludat Chriſtum verum Prophetam non fuiſſe; Vera enim Prophetia ſemper miraculis annexa eſt, ergo vbi miracula mendacia ſunt, prophetia vera non eſt, at in Chriſto, ſicut & in cœteris Prophetis non fuerunt ſigna vera, ſed falſa, vt eſt de Virga Moyſi conuerſa in colubrem, & de mortuis ſuſcitatis, ergo in Chri-

ſto,

ſto, & alijs non fuit vera prophetia, ſed tantum in Maumete, qui vera ſigna fecit.

Videtur autem, quod alium ſenſum habeat, tùm quia ex Alcorano conſtat Chriſtum eſſe Prophetam, tum quod ipſemet ſæpius hoc ipſum in ſuo libello paſſim conceſſit, tum etiam, quia exemplificat de Virga Moyſi, & ſuſcitatis ab Eliſæo &c. Puto igitur ipſum voluiſſe inferre, quod alij Prophetæ poſt Chriſtum non habuerunt veram prophetiam, Chriſto vero ſucceſſit Maumetes in prophetia, & ſignis, quare &c. Quidquid tamen ſentiat, vtrumque falſum, vtrumque impium, vtrumque vero reſponſo diluendum cenſeo.

Ad primum igitur ſenſum reſpondetur. Quicquid ſit de illa propoſitione, vera prophetia ſemper debet eſſe annexa ſignis, de qua in propoſito diſputandum non eſt, quod ſuppoſita, tanquam vera propoſitione illa, non poteſt inde inferri Chriſtum non fuiſſe verum Prophetam, quandoquidem ſigna, quæ fecit, non inania, non falſa, ſed veriſſima, & probatiſſima fuerunt. Vbinam, (ò Hamet) operatus eſt miracula Chriſtus? nonne inter hoſtes ſuos, inter perſecutores, inter illos denique, qui omnia licet minima, quæ agebat, obſeruabant, vt ipſum capere poſſent, & tamen ab ipſiſmet probata ſunt miracula illa, quamquam vera fuerint; ex hoc tantum, vt colligas oro, ne alias plures proferam cauſas, quas proculdubio poſſem afferre &c. Præterquam, quod Maumetes ipſum idipſum, ſæpè ſæpiùs teſtatus eſt, fuiſſe Chriſtum magnum Prophetam, Sanctum Virum, & tu ipſe, hoc eodem loco, ipſum verè Sanctum fuiſſe, imò & ſolum aſſeris.

Si vero ſit ſecundus ſenſus verborum, & vis argumenti. Reſpondetur, quod gratis dictum eſt, ſigna

illa

illa fuisse mendacia, non vera. Miror autem virum, qui vetus testamentum veneratur, hoc tam impium dictum contra Scripturas illas verè Sacras efferre; fuisse Pseudoprophetas, tùm in veteri testamento, cum in nouo; certum est, & euidens Sacrosanctas paginas profitentibus, ipsosq. pariter mendacibus signis, decepisse quãplures, vt est de Prophetis Baal &c. verùm Prophetæ, qui à Sacra Scriptura recipiuntur, & verè Prophetæ sunt, & veris vsi sunt signis, non autem falsis, vt gratis asseris, quod tamen probare necessum erat &c.

Quartum. Plusquam 300. annos esse, asseris Alcoranum descendisse de Cœlis, ergo Maumetes qui illum tradidit verè Paracletus est, & Alcoranus ipse vera Dei lex, quæ seruari debet.

Respondetur. Quod ex confictis fabulis ipsius Maumeti, creditur apud Turcas Alcoranum descendisse de Cœlis, hoc tamen falsum est, & probandum; quis enim credat simplici communioni, vel potius flagitioso viro, tam grandia de Religione absque probatione vlla, absque vllo testamento. Nunquid Prophetæ de ipso testati sunt? nunquid auditæ voces de Cœlo, nunquid ab Angelis nunciatus, nunquid à proprijs inimicis, & hostibus, dęmonibus quoque de Sanctitate eius, de veritate, de eius cum Deo amicitia, & familiaritate testatum est? sicut testatæ sunt vniuersæ Creaturæ de Innocentia, de Aduentu Messiæ nostri Christi, de ipsomet vero Deo & homine? Aperi, aperi, ò Hamet cordis tui oculos, figmentaq. esse quæcumque conficit Maumetes agnosce, inops vir, abiectæ stirpis, animi superbia elatus, vt sibi Regnum adsciſſeret, nequiens potentia, simulata sanctitate tentauit, successit pro voto res, nam inter ignaras gen-

tes,

tes, rudes animos, aduersus Religionem procliuis, confictis fabulis tantum sibi opinionis acquisiuit, vt pro Propheta habitus, leges condiderit, Regnum adeptus sit, & legem ipsam, ac regnum nulla ratione, nulla disputatione, sed armis tantum defensanda decerneret. Vnde? nonnisi quia gentes illæ ad sensuum voluptates pronæ, vitam profunderent, ne tam libidinosæ vitæ genus à sese auferretur, ratione tamen disputare nequeunt, propter non tenuitatem modo, sed falsitatem doctrinæ. Tibi ergo probanda hæc sunt; Adhuc testimonia profer, Scripturas, rationes in medium ponas, vt inde aliquid inferas, fabulis autem nihil omninò concludere, aduersum nos veritati adhęrentes pro comperto habeas, sed de hoc fusius infra, præclara aperiam.

Cap. 14. Quintum. Ioannis 14. ex persona Christi habetur. Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo docebit vos omnem veritatem, multa habeo dicere vobis, quæ non potestis portare modo, ergo adueniente Paracleto ei credendum erat, ei adhærendum, sed Maumetes est Paracletus ergo ipsi credendum est &c.

Vanitas Maumetē esse Paracletum asserentium. Respondetur. Argumentum supponere falsum, scilicet Maumetem Paracletum esse, hinc, vel tantùm colligas Maumetem Paracletum non esse per aduentum Paracleti. Christi Domini lex, & doctrina amplianda erat, atque fortificanda, non enim aliam legem ferret, qui alius non est in natura, in voluntate, in cœteris omnibus attributis ab ipso Verbo, quod naturæ humanæ in Christo vnitum est: videas ergo, quod si Maumetus conatus est Christi legem euertere, atque dissoluere, quam verum sit ipsum Paracletum esse. Profectò opposita fuissent secuta promissis, quod tamen de Christo, (qui ipsa veritas est) impium est asserere,

rere, non nobis modo, sed tibi quoque, qui eius nunc auctoritati inniteris &c.

Septimum. Sæpè sæpius ostendit Christus in Euangelio Paracleti veritatem, atque perpetuitatem, igitur necessum est, vt & ipsi Christiani Paracleto credant, est autem Paracletus Maumete: ergo &c.

Respondetur. Vt proximè supra dictum est hoc tantum addendo, quod Paracleti vox consolatorem sonat, per hunc tamen Consolatorem Spiritum sanctum tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam Christus Dominus noster fidelibus suis promisit; si fortè Paracletum tuum, idest consolatorem assereres Maumetem, ipsum habeto, verum damnationis tuæ, sempiternæq. iustitiæ ministrum experieris, hunc autem non promisit nobis Christus Iesus, sed promisit Spiritum sanctum, quem effudit super credentes, & Apostolos, præcipuè in die Pentecostes, ad stabiliendam fidem, ad illuminanda corda, & ad Ecclesiæ Sacrosanctæ incrementum.

Paracleti vox Consolatorē sonat.

Octauum. Deducitur ex illo Isaiæ 21. Et vidi vnum ascendere super Asinum, & alium super Camelum &c. Super Asinum, idest Christum, super Camelum, idest Maumetum, sic interpretaris num. 46.

Respondetur. Quod per ascensorem Cameli omnes Rabbini interpretantur fortitudinem oppositam Messiæ Christo, quam nos Diabolum vocamus. Si ergo per te ascensor Cameli est Maumetus, ergo Maumetus erit Diabolus, vel Antichristus, Diaboli instrumentum &c.

R Se-

Sequuntur hic quædam alia Argumenta miscua in libro Persæ contenta.

86 Ex n. 40. PRIMVM impugnat Christi Transfigurationem, per hoc quod Moyses, & Elias non potuerunt, vt dicit Euangelium, in Monte Thabor apparere.

Respondetur. Negando apparitionis impossibilitatem. Elias enim verè apparuit, quia erat viuus; Moyses pariter apparuit, si non in proprio, saltem in alieno corpore, non enim repugnat in Sacra Scriptura, spiritus aliquando varia Corpora assumere, vt patet de Angelo Tobiæ, & alijs Angelis; vel si in corpore, dicimus Deum illum à mortuis miraculosè resurrexisse: Voluit autem istos interesse, vt ostenderet legem veterem, & Prophetas per Christum terminari; Vel vt ostenderet esse vitæ, & mortis Dominum; dum Elias viuus & Moyses mortuus apparent.

Secundum. Ex num. 17. Colligit Petrum esse Diabolum, dum Christus illum Sathan appellat.

Respondetur. Petrum pro illo tunc nomen Sathanæ sibi meruisse, dum Christo pro hominibus mortem subituro aduersabatur; propter quod à Christo fuit repræhensus, in se tamen reuersus, non tantum Christi voluntati adhæsit, verum, & se libenter cum illo mortem subiturum promisit, dum dixit. Etiam si oportuerit me mori &c.

Tertium. Colligitur ex num. 67. Nos non posse Pauli doctrinam sequi, cum ipse fuerit excommunicatus propter illa verba, Cupio anathema esse.

Respondetur. Diuum Paulum anathema esse desiderasse pro fratribus, quoad gloriæ consecutionem, non quoad separationem gratiæ, & charitatis, & hoc pro-

propter amoris excessum, & salutis Iudæorum zelum, ac desiderium &c.

Quartum. Ex num. 60. habetur Sacramentalem Confessionem non posse colligi ex Euangelio.

Respondetur. Negando non posse ex Euangelio colligi, nam in Euangelio Ioannis cap. 20. apertè insinuatur. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. hanc autem delegatam Apostolorum auctoritatem Christus accepit à Patre, iuxtà illud: Pater non iudicat quemquã; scilicet non iudicat ipse solus, sed omne iudicium dedit Filio; & illud, Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Deus autem misit Filium suum ad redimendum hominum peccata teste Ioanne: Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. At nedum hæc sacramentalis Confessio in Euangelico textu fundamentum habet, verùm & ex veteri Testamento, à te recepto, clarissimè colligitur. Prouerb. num. 28. habetur. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confitetur, & relinquit ea, misericordiam consequetur. Qui abscondit scelera sua, Talis fuit Saul, vt habetur lib. 1. Reg. cap. 15. Qui confitetur, talis fuit Dauid 2. Reg. cap. 12. Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino: vnde dixit Nathan: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Item Iob cap. 15. Qui sapientes sunt confitentur, & non abscondunt à Patribus suis peccata sua. En igitur sacramentalem Confessionem non esse voluntariam.

Quintum. Ex num. 70. & 71. Multas, quæ in irrisionem ducunt homines, vanitates scribit, omnes ex Alcorano cap. 6. 51. 64. & 107. desumptas, & ad Paradisum pertinentes; Octo asserit esse Paradisos, inter

quas sunt præcipuè Paradisus, in quo pro seruitute temporali, temporalia homo assequetur, pro voluptuosis voluptuosa: & Paradisus, in quo pro intellectualibus & spiritualibus, intellectualia, & spiritualia pariter assequetur à Deo benedicto.

Respondetur. Si per octo Paradisos intelligit octo Cœlos, & per octauum intelligit Empyreum, tanquam proprium Dei locum, vti reuera videtur intelligere n.70.dum (definitionem spiritualis Paradisi assignans,) inquit. Est locus in quo suum beneplacitum, suumq. maximum amorem Deus ostendit; hoc gratis concedimus; si autem aliquid aliud intelligit, tunc maximam esse vanitatem asserimus. Quemadmodum vanitas maxima est determinatum locum pro voluptuosis corporum delitijs aptum, & alterum pro Animarum delectationibus realiter distinctos, assignare: Quid enim iniquius, quam vltimam hominum felicitatem in esu omnium carnium, & fructuum, in potu vini, mellis, & lactis, in suauitate sonitus aquarum currentium, in amplexu, luxuq. carnali pulcherrimarum mulierum, & Virginum, cœterisq. ad quæ mortalis fœx inducit? Et tamen huiuscemodi (vt alias omittam) voluptates admittit Maumet in Alcorano, & tu loco supra citato gratis concedis, non enim nos Christiani adeò hebetes sumus, vt tàm nefandissima scelera confiteamur, sed vnicum admittimus Paradisum, siuè Beatorum locum, in quo summa felicitas, quæ in clara Dei visione consistit, posita est, de qua Dauid in spiritu loquens; O quàm, inquit, magna est multitudo dulcedinis tuæ Deus, quam abscondisti timentibus te; ob cuius refulgentiam, & redundantiam animæ ad corpus, ipsa Beatorum corpora immortalia, & incorruptibilia remanebunt, quæ non comedent, neque bibent ibi cor-

po-

poraliter; sed diuinæ visionis ineffabili satietare erunt repleti, vt Dauid in spiritu dixit. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

87 Sextum. Ex num. 25. 30. 36. & 74. Christianam fidem non Spiritus sancti virtute, sed vi armorum Constantini Magni in Orbem introductam fuisse asserit; ipsumq. Imperatorem Sanctissimæ Trinitatis mysterium ignorasse affirmat.

Respondetur. Hamet apertissimè ignorare innumeras calamitates, & persecutiones, quas Christiana Religio, sub crudelissimis ante Constantinum Imperatoribus passa est, quot Christianos sęuissimus ille Nero occidit? quot Maximianus, Diocletianus, Aurelianus? post cuius persecutionem, multis annis Sacrosancta Mater Ecclesia in pacę quieuit? Mortuo Aureliano successit Constantius Constantini Pater, qui cum esset Christianorum nominis Amator, Christiana pariter Religio multum aucta fuit; Cui successit Constantinus Maximus, qui Patris exempla secutus benignissimum erga Christianos se ostendit. Et dum cum Maxentio bellum esset aggressurus, & ob inimicorum copiam de victoria dubius, miraculosè igneam Crucem in Cœlo sibi apparere videt, vocemq. audiuit: In hoc signo vinces, & victor euades, propter cuius miraculum, vt in vexillo Imperiali semper Crux ferreretur imperauit. Postea baptizatus, & verus Christianus effectus, & decreta in Ecclesiæ Catholicæ gratiam sanciuit, atque condidit, multasq. Ecclesias, atque Basilicas præcipuè Romæ construi iussit. Ex quibus falsitas huiuscemodi illationis apparet; Quemadmodum falsum est, ipsum pijssimum Imperatorem Sanctissimę Trinitatis mysterii ignorasse, quomodo enim Trinitatem non credit, si in nomine trium diuinarum

per-

personarum baptizatus fuit? Quomodo Christi diuinitatem non est confessus, si Romæ in eius Lateranensi Palatio Ecclesiam Saluatori Mundi ædificauit?

Septimum. Ex n. 67. Sacros Hieremiæ, Zachariæ, ac Salomonis libros ex contrarietate inter Christianos, atque Hebræos circa eorum interpretationem penitus damnat.

Respondetur. Hos, & alios omnes Sacræ Scripturæ libros sana doctrina, ac Spiritus sancti reuelatione ab Ecclesia Romana explicari, quidquid aduersus veritatem proclament Hebræi, qui expositionibus eorum nullas addunt rationes, at Ecclesia Dei quidquid dicit, id totum rationabiliter, ac diuina prorsus inspiratione confirmat.

Octauum. Ex num. 75. Apostolos non docuisse legem Christi, eo quod essent timidi propter metum Iudæorum, ac proinde eo tempore amissum fuisse Euangelium.

Act. Apostolorũ c.

Respondetur. Ad primam difficultatem, Apostolos ante Spiritus sancti aduentum timidos quidem fuisse, postmodum verò, nec Tyrannos, nec tormenta, nec mortem denique formidasse, sed ea omnia alacriter obuiasse, ac per totum Orbem Christi legem promulgasse, ex oraculo enim Dauid habetur: In omnem terram exiuit sonus eorum &c.

Quod autem dicis amissum fuisse Euangelium, friuolum est, cum ante Spiritus sancti aduentum scriptum non fuerit, sed postmodum, & scriptum, & longè, lateq. promulgatum.

DE

DE COMPARATIONE LEGIS Christianæ cum Maumetana, & de earum Legislatoribus.

SCIO veram, bonamquè comparationem, ac similitudinem inter paria, atque æqualia sortiri debere, nè alterius illorum nobilitati derogetur, & cum inter Christum verum Deum, & hominem, Sanctum, iustum, purum, diuinumquè Legislatorem (vt terminis Maumeti in Alcorano c. Elmeide vtar) & inter eundem Maumetum, virum Sanctitatis simulatorem pessimum, vita scelestissimum, iniustum, humanumquè Legislatorem, ac inter Sacratissimam, indubitatamq. Christianorum legem, & Turcarum nulla prorsus sit æqualitas, propterea nulla inter ipsos esset imaginanda comparatio; ne nobilitati, ac supremæ Christianæ Religionis dignitati derogare videremur. Verumtamen, quia tale, ac tantum est vehemens desiderium, quod de tui, tuórumq. subditorum salute teneo; vt postpositis omnibus; videar, Christum, & Maumetum, eorumq. leges inter se non posse non comparari, (licet postea dissimilitudo potius, quàm similitudo appellanda erit &c.)

Primò igitur quid de Christo humani generis Reparatore sentiendum sit aperiam.

Secundò quid de Maumeto.

De

De Christo Christianorum Legislatore.

CAPVT PRIMVM.

Christus.

88 PRIMO. Verus Deus, & homo, vt Deus exit à Patre, cum quo simul, & Spiritu sancto est coæqualis, vt in Tractatu Sanctissimæ Trinitatis vidimus; Vt homo ducit originem, & ab Abraham, & à Dauid, ad quos tantum repromissio facta est. Ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus. Ad Dauid, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. De Regia, & Sacerdotali stirpe prodijt, Aaronica, scilicet, & Dauidica, ac de Tribu Iudæ.

Vera Christi origo.

Differentia inter Christum, & Maumetū.

Secundò. Annunciatus per Angelum, & in Virginis Matris vtero sine Patre, diuina tamen sancti Spiritus cooperante virtute conceptus, vt clarè in Alcorano ipso cap. 5. habetur; & manifestius vaticinati sunt Isaias cap. 8. Zacharias c. 2.

Cap. 5.
c. 8. & 2.

Tertiò. Natus ex Matre Sanctissima Virgine, absque vlla macula concepta, quam infallibilem veritatem præter Ieremiam cap. 30. & 31. Ezechielem 21. Isaiam 42. tuus pariter Maumetus in Alcorano duobus in locis, nimirum c. Abraham, & c. Albokari indubitanter admittit.

c. 30. 31. 21. 42.

Quartò. In cuius natiuitate Angeli mirabili è Cœlo splendore, Pastores ad nati numinis festinationem inuitant, quivè à Magis ab Oriente aduenientibus, ac nouæ illius Stellæ ductum sequentibus adoratus humiliter, mysticisq. muneribus largè donatus fuit, Circum-

cumcisus, ac sui pretiosissimi Sanguinis, quo eramus redimendi, vltro nobis primam exhibuit arrham, & vocatum est eius nomen Iesus; quæ omnia diuinitus à Baalam Ariolo num. 3. c. 24. Isa. 60. à Dauid Psal. 71. Abacuc c. 3. fuerunt vaticinata. c. 24. 60. 71. Cap. 3.

Quintò. Omni sanctitate, vitæq. probitate præditus fuit, ac ab omni prorsus labe, sordeq. peccati alienus, vt (omissis præstantibus illis testibus Dauid Psal. 88. & Isa. 44. 54., & alibi) satis ex Maumeto in Alcor. c. 5. superq. constat. c. 44. 54. Cap. 5.

Sextò. Quia verò Ecclesiæ Caput erat futurum, & ea ipsi erat desponsanda, vt ex Cant. Cant. 5. & Mich. 2. colligitur, perpetuam seruauit Castitatem, nec vllam duxit Vxorem. Cap. 5. Cap. 2.

Septimò. Fuit admirabilis in sapientia, & scientia, itaut nedum omnia præsentia, sed & præterita, & futura, hominum cordis secreta mirabiliter præcognouerit, atque ideo solus Propheta prophetarum fuit, vt ex Deut. 18. Zachar. 9., multisq. alijs colligitur Prophetis, & ipsemet Maumetus præallegato loco in Alcor. aperte confessus est. Cap. 18. 9.

Octauò. De potentia autem, & virtute miracula operandi clarissima sunt, non tantum apud Isa. c. 35. Ier. 5. Oseæ 7. verum, & ipsius Alcor. testimonia, vt num. 30. dictum est. Imò ipsius Christi miracula tanta, ac adeò manifesta Orbi fuerunt, vt nulla vnquam gens fuerit, quæ, vel tàm impudens, vel adeò Christo inimica, ea negare sit ausa. c. 35. Cap. 5. 7.

Nonò. Fuit verus, ac perfectus Legislator, nouam enim legem perfectiorem, quàm veterem instituit, habentem omnes conditiones, quæ ad verã, bonamq. legem pertinent, vt videbimus, propter cuius institutionem adimpleta sunt tot Scripturarum, ac Prophe-

tarum oracula Ier. 31. 40. Isa. 2. 11. 42. 51. Micheæ 4. Psal. 21.

Decimò. Tandem, vt alia præclara omittam, quæ de ipso, Scripturæ, Prophetæ, ac Sancti viri dixerunt, pro hominum salute multa incommoda, ac mortem ipsam in Cruce, passus est: Resurrexit, Cœlum conscendit, ad Patris dexteram sedet; venturus est denique iudicare viuos, & mortuos, & in his omnibus Sacra tot Prophetarum oracula sunt adimpleta Isa. 35. Oseæ 13. Amos 9. Psal. 17. 104. & Ioel 3.

Quæ de Christo Christianorum Legislatore dixi, iam percepisti; nunc quæ de Maumeto Turcarum Legislatore dicturus sum diligenter aduertas, quorum vitam, ac mores si attendas, facilè inueneris, nullam prorsus inter ipsos intercedere comparationem, sed omnimodam dissimilitudinem, ac propterea Christianorum legem in sanctitate, veritate, & stabilitate, longè vestram anteire.

De Maumeto.

CAPVT SECVNDVM.

Maumetus.

89 *Maumeti origo atq; genealogia.* SIMPLEX, & purus homo, prima ætate Idolatra, pauper, latrocinia exercens, scelestissima vita notus, in doctrina virulentissimus, in malis patrandis studiosissimus.

Temerarius, & arrogantissimus, seductor periculosissimus, Tyrannus denique crudelissimus.

Primò fuit simplex, & purus homo, ex carne, & san-

sanguine compositus, vt cœteri homines, non enim fuit purus spiritus, vel Paracletus; vt falso es opinatus num. 33. & 36., & in multis alijs tui libri locis; Spiritus namque carnem, & ossa non habet, sicuti habebat Maumetus, Paracletus autem, tùm Græcè, tùm Hebraicè, tùm etiam Latinè idem est, quod Consolator, ac ideò non est Paracletus; quia per Paraclètum promisit nobis Christus Spiritum sanctum, vt supra dictum est num. 48.

Prætera Spritus Paracletus omnem sanctitatem, & puritatem secum trahit, ac omne peccatum de sui natura excludit, vt visum est in Tractatu Sanctissimæ Trinitatis num. 9., vbi præclara multa de Spiritu sancto dixi. Maumetus autem omni libidinis ardore succensus fuit, omniq. labe coinquinatus.

Nec verba Zachariæ 9. cap. non Isaiæ (vt asseris) à te loco citato de Maumete interpretata, ad probandum esse Paracletum, quidquam obstant; verba enim sunt hæc; Ecce Rex tuus veniet ibi iustus, & Saluator, ipse Pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ. Et quod de Christo tantum intelligenda sint, ex propria ipsorum Iudæorum Confessione, hoc Sanctissimum Christi nomen tam acriter impugnantium, liquidò constat. Rab. enim Barach. nomine Rabbi Isach. super hunc locum sic habet; sicut fuit Redemptor primus, id est Moyses, ita Redemptor secundus idest Messias; deindè per verba Zachariæ, & quemadmodum Redemptor primus fecit descendere Manna, vt habetur Exod. 16. cap. ità Redemptor vltimus faciet; & sicuti Redemptor primus fecit ascendere fontem, ita Redemptor vltimus, vt habetur Ioelis vltimo. Et fons de domo Dei exibit, & rigabit torrentem Setim, non ergo verba hæc Prophetæ intelli-

Cap. 9.

Cap. 16.

guntur de Maumeto cum non iustus, sed iniustus, non Saluator, sed Saluatore indigens, non pauper, sed diues, (quamuis non à Natiuitate,) sed tantum de Christo, atque ideò non Paracletus, sed simplex, & vilis homo fuit.

Neque asserendum est Gabrielem esse Spiritum sanctum, vt putas num. 24. quia dum Gabriel annunciauit Mariæ per Spiritum sanctum, vt dixi num. 37. tunc annunciasset per semetipsum. Præterea, si est Gabriel, quomodo Maumetus? nisi Sanctorum Spiritus cateruas assignare velis; nec Gabriel, cum sit Angelus, dignior in omnibus gradibus Cherubinis, vt tenes num. 2. absque fundamento.

90 Prima ætate Idolatra, ipse enim vtroque orbatus parente, sub Marcoffi auunculi sui tutela, pueritiæ annos agebat, tunc temporis prophano idolorum cultui, cum vniuersa gente Arabum inseruiens.

Vita, & mores Maumeti.

Pauper, nam post aliquos annos mercenarius factus, viduæ cuiusdam Cadigæ Camelis agendis præfectus est, cum quibus in Syriam, aliasque Regiones proficiscens, innumera commisit latrocinia, & sic negociationibus, & rapinis ex paupertate ad diuitias euectus est, ex ignobili, ac egeno in diuitem, & famosum mutatus est.

Scelestissima vita notus, fuit enim tantò libidinis ardore incensus, ac inflammatus, vt sæpè sæpiùs sibi à Deo vim, immanemq; generandi potestatem, quantum hominibus quadraginta traditam prędicaret, quapropter incęstibus coinquinabatur, adulteria committebat, tollebat Virgines, & Viduas coniugatas: Quid scelestius? quid obscenius, quam asserere Deum, apud quem nullum prorsus potest excogitari peccatum, tot adulteria, incestus, ac scelera hominibus,

nedum

nedum permittere, sed quod magis est illis, iniungere?

In doctrina virulentissimus, à Doctoribus namque Iudæis, & Hæreticis instructus fuit, vnde Alcoranum condidit, & tàm ex fabulis iudaicis, quam ex Hæreticorum venenis confecta, nephariã scripturam, barbaro suo modo contexit, quã paulatim per tomos à Gabriele, cuius nomen ex Sacrosancta Scriptura cognouerat, sibi allatam mentitus, gentem Deum ignorantem, læthali haustu infecit, ac propterea animas, & corpora illius gentis, (ehu miseri) interemit; non ergo à Deo illi diuina scientia infusa fuit, quia eius scientia est verissima, Maumeti verò fuit fere in omnibus falsissima, quare veritatem non sentit id quod asseris num. 75.

91 Temerarius, & arrogantissimus, nàm talis, ac tantæ fuit temeritatis, vt ausus sæpissimè sit asserere, Credite in Deum tantùm, & in Nuncium eius Maumetum, quem se talem esse toties prædicauit, & à gente illa stulta semper creditus est.

In malis operibus studiosissimus insectator, politica enim illa regula fraudulenter est vsus, qua vnusquisq; Princeps Tyrannus ad eius regnum dilatandum vtitur, quæ est, Omnia omnibus tolerare, & condonare, prout sibi ad suum intentum expedire videtur. At peculiares astutias, quibus vsus est, inferius adducam.

Seductor periculosissimus, quia multa falsa, ac apparentia signa coram populo fecit, vt ipsum etiam de Cœlò descendere fecisse genti illi Idolatræ ausus sit asserere; & quod notũ est omnibus, Maumetum iam virum effectũ, Epileptica passione cadere cæpisse authumant; Vnde ne apud populum in opprobriũ deueniret, se hoc pati ex apparitione Gabrielis Archangeli affirmabat, vtpotè eius refulgentiam sustinere non posse,

co-

conatus sit asserere. Quæ omnia, quam ridicula sint, & fabulosa, quisque mentis compos, facilè afferet iudicium.

Tyrannus crudelissimus fuit, quia non ratione, & doctrina, vt quilibet verus Princeps &c. sed armorum vi, & pœna mortis, eius legem in omnes subditos introduxit, veramq. Tyranni regulam sequutus fuit, hoc est suam, non populi vtilitatem quærendo, vt docet Aristoteles 8. Ethicorum c. 10. Vnde dispoticè, non politicè, vt debebat, populum gubernauit.

Tandem Pseudopropheta, non verus fuit, quia cum vi armorum ad Regni sublimitatem ascendere non posset, arte, & ingenio id voluit præstare, vnde Prophetam Dei generalem se simulauit, legemque, quam à Deo sibi cælitus reuelatam asserebat, insinuauit. At non Prophetam, sed potius Pseudoprophetam extitisse ex prophetiæ conditionibus non est difficilis comprobatio.

92 *Prophetiæ conditiones.* Quatuor enim sunt veræ conditiones Prophetiæ.

Prima. Vt annunciet, quæ ventura sunt, sub quibus nullum inueniatur mendacium.

Secunda. Cum sit Dei peculiare donum, detur ad Ecclesiæ, & veræ fidei vtilitatem.

Tertia. Vt nullam contrarietatem admittat.

Quarta. Vt omnem fictionem, sanctitatisq. simulationem extra se mittat. Maumetus autem, haud vllis, huiuscemodi proprietatibus præditus fuit.

Non prima; quia, vt alia omittam, multa prædixit, quæ nunquam euenerunt; Prædixit enim se tertia die resurrecturum, quapropter à Saracænis vsque ad illud tempus eius corpus reseruatum, ita fœtore aerem infecit, vt illud absque vlla interposita mora, dignanter sepelire compellerentur.

Non

Non secunda; quia ea, quæ à Maumeto gesta sunt, potius ad fidei destructionem, quam ad morum vtilitatem spectant.

Non tertia; quia multa sunt in Alcorano scripta, quæ sibi aduersantur, & contrariantur, nec tamen à Deo vlla potest esse contradictio; quod autem in Alcorano multa sint, quæ sibi aduersentur, comprobatum remanet ex cap. Ionæ, Telteumpe, quod interpretatur mensa, & Elnasa, quod interpretatur mulieres, & Elcaminar, & Elacaph, & Elminim, & Elezad, multisq. in alijs capitibus, quæ breuitatis causa, omitto.

Non quarta; quia ipse fuit omnis sanctitatis simulator, & maximè fictus, seductor hominum, omnium scelestissimus, vt comprobatum remanet ex supradictis.

Nec Deut. 33. Prophetia Deus ab Austro &c. à te adducta intelligi potest de Maumete.

Quam Prophetiam tùm de Christo, cum de Maumete interpretaris, ità vt Maumetus de monte Pharan qui est locus propè Mecha, venturus erat, & Christus de monte Synaî.

Respondetur etenim. Si sensum litteralē sequamur, nil aliud nobis insinuat, nisi benedictionē, quam Moyses morti propinquus pro Populo impertiendus erat, innumera beneficia tribus illis Montibus à Deo collata prius enumerans: In monte siquidem Synai legem illi dedit; In monte Seyr. dum mouebatur Populus, & propter laborem iam cęperat murmurare, misit Dominus serpentes ignitos, à quibus cruciebatur, in quorum remedium Deus præcepit Moysi, vt sibi serpentem Aeneum fabricaret, quo facto; ipsum aspicientes statim sanabantur; Annuncians igitur hoc

be-

beneficium, & de Seyr (inquit) ortus est nobis, scilicet nobis apparuit, dans curationem à serpentum morsibus. In monte tandem Pharan se Populo Israelitico ostendit, quia cum mouissent castra de monte Synai venerunt in solitudinem Pharan, quo in loco Deus dedit coturnices per mensem integrum; deinde cum Moysen solum non posse tantam multitudinem gubernare respiceret Deus, Spiritum suum in septuaginta Seniores misit, qui statim prophetarunt; omnia autem hæc, & similia beneficia narrans Moyses apparuit Dominus de monte Pharan.

Secundò Respondetur. Debere sic interpretari de Christo. Cum Bethleem sit locus ad Australem partem positus, & Christus in Bethleem sit natus, ac legem dederit in monte Synai, qui est vicinus Bethleem, ipse est, qui de monte Synai venit, cui cum sit vicinus mons Pharan, consequenter dicitur, & sanctus de monte Pharan. nullo pacto igitur potest intelligi de Maumete.

CAPVT III.

93 *Differentia inter Christianorum, atque Turcarum leges.*

HVcusque, quæ breuiter de Christianorum, & Turcarum legislatoribus insinuanda erant, audiuisti, nunc, quæ de eorum legibus aperienda sint, diligenter attende. Breuiter enim legis nostræ, splendidam lucem demonstrabo, obscuramq. tuæ caliginem detegam; Etsi ex tua lege leuiores audiuisti narrationes, non est cur hæc grauia, ex quibus tua pendet salus condemnes; non enim est anima nobilis, cui non insit veritatis amor; verus non est homo, qui propriam salutem, spernit.

Et

Et primo de Christianorum lege sermonem contexam, veras, & necessarias, quæ ad constituendam veram, & iustam legem requiruntur conditiones in medium breuiter afferendo, ex quibus liquidò patebit, solam Christianorum legem infallibili inniti veritati; Reliquas verò (præcipuè Maumetanam) erroribus, atque mendacijs obnoxias esse.

Quinque (vt alias omittam) sunt conditiones, quæ veram legem constituunt, ex Dauid Psal. 118.

Conditiones veræ legis.

Prima, vt sit consona. Secunda, vt sit honesta, iusta scilicet, & sancta præcipiens. Tertia, vt non exteriores hominum tantum, verum & interiores in Deum dirigat actus. Quarta, vt infallibili testimonio innitatur, verisq. miraculis comprobetur. Quinta, vt vera sapientia populorum mentes, voluntatesq. inflammet: Lex Domini Immaculata &c. conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

Quatuor itidem sunt conditiones iustam legem constituentes.

Prima est ex parte finis, vt scilicet in bonum finem ordinetur.

Conditiones iustæ legis.

Secunda ex parte agentis, vt scilicet sit ab habente auctoritatem.

Tertia ex parte materiæ, vt non prohibeatur virtus.

Quarta ex parte formæ, vt debito modo promulgetur. Videamus, si placet, An Christianorum, an verò Saracænorum lex, huiusmodi præseferat conditiones.

Christianæ legi omnes appropriantur.

94 Nostra enim lex habet primam, nihil siquidem in ea continetur, quod & Dei honorem, & animarum salutem non respiciat. Continet secundam, Honesta enim, iusta, & sancta præcipit, hominesq. inducit ad

virtutem, vt intuenti Alcoranum constat, virtus autem ex Arist. 2. Ethic. est, quæ bonum facit habentem, ac eius opus reddit bonum. Continet tertiam, finis, & præcipuum nostri legislatoris institutum fuit, omnes homines sanctos, saluos esse, ad agnitionemq. veritatis peruenire. Cum ergo omnia, quæ continentur in hac lege sint ad hunc finem posita, necessario non tantum actus exteriores, verum, & hominum interiores ad Deum ordinare, sequetur. Continet quartam, innititur enim infallibili veritati pro testimonio, nimirum Deo ipso, certisq. remanet comprobata miraculis: Nam non est testis falsus Deus; sed Deus inuocatus à prædicante Scripturam, vt eius doctrinam ostenderet esse veram, aliquod sibi fecit opus proprium, scilicet miracula; ac per hoc testificatus est, illud esse verum, quod iste prædicauit; & si miracula facta esse non credis, hoc nobis vnum grande miraculum est, quod iam terrarum Orbis sine vllis miraculis credit; nec in ipsis cadere potest error, nam assueti sumus asserere; Domine, si est error, à te decepti sumus, quoniam tantis signis confirmata sunt, quę non nisi per te fieri possent.

Vel si dicas, id quod credimus incredibile, & miraculorum historias falsas esse, dico non minus incredibile esse homines immobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tàm incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse, vt mundus illud credat, sicut iam credidisse videtur, nisi per illos aliqua miracula fierent, per quæ mundus ad credendum induceretur, nos autem authenticis Scripturæ, & miraculorum scriptoribus indubitatam præstamus fidem, præsertim cum illos diuersimodè dispositos in vnum, eundemq. assensum (causa disponente

su-

ſuperiori) mirabiliter conueniſſe inſpiciamus, propter quorum diligentiam ſi nulli crederemus de contingenti, quod non vidimus, tunc nec credemus Mundum fuiſſe ante nos, nec hos eſſe noſtros Patres, illas noſtras Matres, & talis incredulitas vitam omnem deſtruit politicam.

Continet quintam. Nam cœleſtium, & diuinorum contemplatione, dilectione, omniq. ſpirituali dulcedine hominum mentes perfundit, quia ſuo ſplendore intellectum illuminat, & mellifluo affectum amore inebriat, vt cæcinit Dauid. Quam dulcia facta ſunt eloquia tua Domine &c.

95 Quod autem ſit Iuſta, quatuorq. ſupradictas conditiones contineat; audi.

Continet primam. Finis enim noſtri Legiſlatoris fuit aliorum, non propriam ſalutem quærere, (quod proprium Tyranni eſt.)

Continet ſecundam. Cum enim eſſet verus Deus, verusq. homo, vt probatum eſt, habebat conſequenter auctoritatem leges condendi, & ſic noſtra lex à Deo eſt, vt Maumetus ipſe Cap. V. in Alcorano fatetur.

Continet tertiam. Siquidem non prohibuit virtutes, ſed vitia, ad hoc vt ab omnibus poſſet, & deberet ſeruari, lex enim iniuſta, peccata, atque vitia admittens, cum diuino iuri, naturali, atque poſitiuo repugnet, à nemine debet ſeruari; Chriſtus pariter in hac lege, latam ſaluandi omnes animas per ſeptem Sacramentorum inſtitutionem, aperuit viam, præcipuè per Sacramenta Baptiſmi, (ſine quo nemo poteſt introire Regnum Dei,) atque Pœnitentiæ, vt illa tùm Zachar. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ieruſalem ad mundificandum, & ad

aspergendum &c. tum Psalmographi 100. Iubilate Deo omnis terra &c. Confitebuntur mihi omnes gentes &c. Prouerb. 28. Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confitetur, & reliquerit ea, misericordiam consequetur, & tandem Iob 15. Qui sapientes sunt confitentur, vel indicant, & non abscondunt à Patribus suis peccata sua; aliaque Scripturæ loca; Verificarentur. Quare falsum est, quod num. 66. asseris, dum hæc Sacramenta, absque ratione impugnas.

Continet tandem quartam. Quia ordinatè promulgata fuit, Primo ab ipso Legislatore Christo, Secundo ab Apostolis, Tertio successiuè ab omnibus Christianis; vt omnes, qui erant in mundo ab hoc Sacrosancto Fonte, aquam propriæ salutis haurire liberè possent. Omnibus igitur, quæ ad veram legem requiruntur conditionibus, gaudet Christi Domini lex, non autem Maumeti, vt facillimè comprobatur, illas sigillatim contemplando.

CAPVT IV.

96 NOn habet primam; Continet enim in se multa, quæ non solum diuinæ legi, sed & naturali omnia inuisa sunt, atque contrariantur; peccatum præcipuè contra naturam in Alcorano à bestiali Maumeto imprudenter concessum, quod scelestissimum vitium, non tantum Deo est exosum, vt in clarissimo Sodomorum, & Gomorrhæorum exemplo constat, verùm & naturæ ipsi, quæ omnium rerum ortum, & procreationem procurat, hęcq. non potest seruari, nisi legitimus seruetur fœminarum vsus: Huic nefandissimo vitio adstipulantur alia duo à Maumeto in cap. 32.

Al-

Alcorani admissa, nempè adulterium, & fornicatio, quæ, & diuinæ, & naturali legi repugnant; diuinæ, quia hoc prohibetur expresse Exod. 20. Non mœchaberis, & Tob. 4. Attende tibi ab omni fornicatione, & præter Vxorem tuam, non patiaris crimen sciri. Naturali, quia quod tibi non vis, alteri ne feceris. Nullus autem coniugatus vellet suam Vxorem ab alio viro cognosci; At hoc fit, quando adulteratur; ideo legi naturæ repugnat (quare falsum est quod num. 65. asseris.) Relinquo Polygamiam, scilicet pluralitatem Vxorum, aliaq. id genus scelera, in Alcorano contenta, naturali legi repugnantia; quapropter iure meritò asserimus, legem Maumeti, prima non pollere conditione.

Conditiones veræ legis non conuenire Maumetanæ legi ostenditur.

Sed neque secundam. Si enim virtutes prohibet, ac vitia (quæ homines à via salutis naturaliter deuiare videntur) in sua lege admittit, quomodo iusta, & honesta continet? & licet aliquas admittat virtutes, vt ieiunium, orationem, & eleemosynam, non tamen ad illum finem ordinauit, ad quem à Deo ordinatæ fuere, sed vt ipsis lapsis, voluptuosius, & appetentius excitarentur omnis libido, & turpitudo.

Non tertiam. Quia animas hominum Maumetus non conuertit ad Deum, vt illi adhæreant, sed auertit: nec interiores, siuè exteriores ad virtutem, sed potius ad vitia fraudulenter dirigit actus, nimirum ad spurcitias, aliasq. obscœnitates.

Non quartam. Quia nec per Deum, nec per opera vera miraculosa hæc lex confirmata fuit; sed tantum per innumerabilia mendacia, & fabulosas visiones, vt intuenti Alcoranum apparet.

Non quintam. Sensus enim, & ratio inter se perpetuo pugnant, ideo nullus homo, qui omnis libidi-

nis,

nis, & luxuriæ sordibus inuolutus est, erga Deum purissimum Spiritum, cor, mentemq. suam inflammare valet, & cum homines, qui sub lege scelestissimi Maumeti orti, educati, atque versati sint, omni libidine sint repleti, consequenter immunda eorum corda, longè erunt à Deo.

97 Quod autem sit iniusta, ex quatuor supradictis conditionibus, ipsi repugnantibus, facilis est comprobatio. Repugnat enim illi prima conditio, nam non subditorum, sed propriam quæsiuit vtilitatem, commodum, atque imperium, quod Tyranni proprium est, imò ad dilatandam hanc suam potestatem, quatuor fraudulentissimis astutijs vsus fuit.

Conditiones iustæ legis Maumetanæ legi nō aptari insinuatur.

Prima. Vt de lege sua, non doctrina, & ratione, sed gladio, & ense disputaretur, & quicumque Alcorano indubitatam non præstaret fidem, statim interimeretur; Animaduertens enim, hanc eius mendacem legem non posse miraculis confirmare, multaque mendacia continere, ac multos propter hæc fore, qui ei contradicere possent, sibi ipsi, ac omnibus, qui Alcorano aduersarentur; datum fuisse à Deo gladium, quo illum vnusquisque defendere teneretur, asserebat. Vnde fere per totum Alcoranum habentur hæc verba; Interimite, interimite omnes, qui illi fidem non præstant, quæ via manifestè contraria est Christo, cuius lex non metu ensis Constantini, vt num. 27. absque ratione affirmas, promulgata fuit.

Secunda. Ne Saraceni studio Philosophię incumberent, per quod legis falsitas, solo naturali iudicio, eius mendacia manifestarentur.

Tertia. Quod in principio non nisi rusticis, qui facillimæ sunt appræhensionis, eius lex persuaderetur.

Quarta.

Quarta. Quod in lege, libidinis, voluptatisque carnis frœna laxauerit; quam carnales homines libenter amplectuntur; & hæc est peculiaris ratio ob quam hæc impia lex tot regionibus dilatata est, & durat.

Repugnat secunda. Cum enim esset purus, & vilis homo, de firma vitæ æternæ largitione, nulli homini certam, atque indubitatam fidem reddere poterat, & consequenter, præcepta in illa lege contenta, quæ videntur ad gloriam, (licet potius ad perditionem) homines conducere, sanciri nequibat.

Repugnat tertia. Prohibet enim virtutes, & amplectitur vitia, vt visum est supra.

Repugnat tandem quarta. Quia non prædicationibus, martyrio, miraculis, alijsq. prodigijs, & operibus inuisibilibus, quæ totius naturæ superant facultatem, vt Christiana Religio mirabiliter operatur, sed armorum potentia, maximaq. vi temporali, non ab ipso Maumeto, sed ab alijs Orientalis imperij potentatibus, promulgata fuit.

98 Accedit, nostram, longè antecedere vestram, ex eo maximè, quia antiquior est, neque vnquam fuit corrupta, & vsque ad finem Sęculi erit duratura, vt ex Daniel. 9. constat. Regnum quod in æternum non dissipabitur. At vestra, incępit, parùm plusquam 600. annis post legem Christi, & in breui Deo coöperante finietur, multum enim debilitata est anno Christi 1300. eiusq. cultores multi mortui, & plurimi fugati sunt; Scioq. apud vos prophetiam esse, sectam hanc cito finiendam fore, affirmantem; vt ex Haymoto fratre Regis Armeniæ ad Philippum Regem Galliæ, constat.

Præterea in doctrina, & virorum, ac mulierum pro-

probitate sola lex Christi Sanctior est, nihil enim continet falsum, quoad fidei doctrinam, & mores, ad differentiam aliarum sectarum, quæ omnes, aliquos continent errores.

Pagani siquidem plurium Deorum cultores ostenduntur.

In qualibet secta aliquem errorem existere, præter in Christo probatur.

Vos Maumetani, vt alios omittam errores, omnes saluari posse in sua lege asseritis; &c.

Iudæorum errores manifesti sunt, & præcipuè, qui in doctrina Talmud continentur.

Manichæi, æquale peccatum esse præscindere folium de arbore, atque hominem interficere, asserunt.

Donatistæ, vt seipsos martyres faciant, de montibus semetipsos præcipitare volunt.

Alij sunt Hæretici, qui omnem hominem iustificari posse sola fide spirituali, qua vnusquisque certo credit se propter Christum coram Deo esse iustum, affirmant.

99 Denique omnes sectæ aliquos errores admittunt, præter nostram Religionem, in qua nihil turpe, & flagitiosum spectandum, imitandumq. proponitur, quia vera Dei præcepta insinuantur, miracula narrantur, dona laudantur, beneficia postulantur, & ei Spiritus sancti peculiaris gratia semper assistit. Cuius rei tanta est vis veritatis, vt etiam aduersarios cogat interdum, verum de illa testimonium perhibere, vt adimpleatur illud Deuter. 32. Non est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sunt Iudices.

Omnes sectarij bene sentiunt de Christianis.

Pagani, Christianos omnia vitia detestari affirmant, vt Plinius secundus in Epistola ad Traianum lib. 10.

Maumetani, cap. 2. & 4. in Alcorano Christianos saluari, & Christum maximum fuisse Prophetam, docent.

Iu-

Iudæi, plusquam hominem fuisse, imò verum Messiam confitentur aliqui, vt Ioseph. lib. 18. antiq. cap. 6. & Philo. Iam verò nusquam inuenitur, Christianos Catholicos laudasse, aut approbasse Turcarum, Saracęnorum, Paganorum, Iudæorum, vel quorumcumq; Hæreticorum sectam, & legem.

109 At miraberis vehementer in dies aliquos inter Christianos reperiri, qui dogmata Christiana relinquentes ad Maumetana migrent: asserentesque iniquam esse legem nostram, amplectantur Maumetanam, eius pariter initientur sacris, & qui Trinitatem prius prædicabant, nunc detestentur, quique Christum humanatum colebant, nunc derideant.

Sunt (heu miseri) qui hæc talia operantur, confitemur; sed qui nam homines sunt? sanè aut libidinis serui, aut ambitionis amici, aut metu mortis attoniti, aut tandem cruciatu superati. Non est tamen hoc nobis nouum, nec vlla admiratione dignum, idem enim & Maumetani sæpè ad nos migrantes, faciunt. Illud mihi mirabilius apparet, tot millia hominum Christi nomine insignitorum, sub Turcarum imperio commorantium, qui etsi grauia tributa pendeant, nunc liberis priuentur, nunc coniugibus opprimantur, durissimaq. seruitute lacerentur, Christianę tamen legi non renunciant. Vnde potius malunt tolerare seruitutis iugum, & in squallore, ac miseria viuere, quam Christum verum Deum, verumq. hominem abnegare.

At nec propter hoc admiratione afficior, hæc omnia siquidem operantur bonitas legis, & vitę ęternę securitas, quam nemo sapiens pręsenti postposuit. Hęc est illa lex, quę Deum ipsum, vt suum auctorem respicit; ipsa est fons clementię, iustitię culmen, pietatis speculum, misericordię, charitatis, atque amoris ple-

na, per ipsam Deum vnum, & Trinum diligimus, & proximum, imò & inimicos ipsos amamus, in quibus duobus pręceptis tota lex pendet.

Pro cuius amore, atque tuenda veritate sanguinem proprium effuderunt Apostoli, quorum vestigia homines, atque mulieres secutę omnibus solemne, peneq. legitimum erat inter Leones, inter accensos rogos, inter districtos mucrones, & truculentos carnificum vultus inclamare se beatos, sibi esse feras pro epulis, ignem pro rosa, pro corona gladium, & pro triumpho carnificem: O spectaculum non minus luctuosum, quam gloriosum, martyr de Tyranni crudelitate gaudet, & Tyrannus de gaudio martyris torquetur: plus Tyrannus alacritate martyris, quam martyr Tyranni feritate, cruciatur. Nec credas, Princeps, tàm magnam vim hominum ex omni ordine, genere, sexu, ętate, tanta contentione conuolasse ad tribunalia, & per summum dedecus amisisse, nisi gloriosum fuisset, & esset Christi causa, atque Christianę legis cum dedecore mori. Sed si sanguine laureati infallibilem nostrę legis ostendunt homines veritatem, non desunt, & alij, qui doctrinis, & scripturis cęlitus reuelatis eandem veritatem manifestant. Quis viros commemorare queat ex Christiano genere diuini, & humani iuris excellentissimos professores, verè Mundi lumina, scientię fontes, qui vsque ad mortem in Christi fide perseuerantes pręclara volumina ediderunt, quę tanquam sydera quędam doctrinę humanas illustrant mentes? Et quęnam vllo in loco lex est, quę alterum habeat Augustinum, alterum Gregorium, alterum Hieronymum, alterum Ambrosium? Et ne Gręcos pretereamus, quę Religio virum vnquam habuit, qui Ioanni Chrysostomo comparari possit?

quis

quis magno Basilio æquabitur? quis Cyrillo? quis Gregorio Nazianzeno? Nonnè magna olim, & florida in Alexandria schola fuit, & multi per Asiam, Syriam, Africam, atque Europam doctissimi floruerunt viri? qui statim Christianæ legis veritatem agnoscentes, eandemmet legem libenter amplexi sunt, quod non fecissent, si illam aliquibus inuolutam fuisse erroribus animaduertissent. Quid dicemus de Religiosis domibus, in quibus Angelica ducitur vita, pro peccatoribus assiduè Domino effunduntur preces, ac denique vno ore omnes diuinas personant laudes.

Benedictus apud nos multorum Monachorum Pater, & apud Græcos magnus Basilius.

Dominicus in extremis Hispaniæ natus oris, qui Prædicatorum Regula instituta vniuersum illustrauit Orbem.

Quos fructus edidit Seraphicus Pater Franciscus, eximius paupertatis amator, ac verus Crucifixi imitator, quot eum discipuli secuti sunt, quot sub eius Regula viri Sanctissimi atque Doctissimi floruerunt, & florent?

Et nostris tempestatibus non nè duo tanquam lumina, atque candelabra ante Deum lucentia apparent Ignatius de Loyola, & Theresia Hispanensis? qui nouum, nitidumq. viuendi morem vniuerso tradiderunt Orbi, in quorum honorem quotidie noua ædificantur monasteria, & sancta renouantur instituta. Noua semper in dies proles florescit nostra Religio, quod si non desunt peccatores diuinam prouocantes Maiestatem, non desunt pariter conciliatores, viri sancti Deo accepti, Virginesq. immaculatæ precibus assiduis diuinam iram auertentes; nec timemus ruinam tantis adiuti patrocinijs. Hæc dixi, vt nostram legem soli-

V 2 dis-

dissimis initi fundamentis pro comperto habeas, sciasque extra ipsam neminem posse saluari.

At revera Princeps, veritatem, & maiestatem nostræ legis, eiusq. excellentiam super legem Maumeti te non ignorare percipio & maximo ardore disputandi, velleq. latius cuncta discutere, animaduerto.

Sed obstat Legifer tuus, & inquirere verum prohibet, clamatq. [Non est mea lex, quæ disputationi subijcienda sit; caue ne quid loquaris, arma in manu mea sunt; ensis meæ legis dignitatem, tuetur,] compatior tibi, ab hac enim inhumana lege, velut vterina Matre, vbera per tot annos suxisti; sed scias tuum Legislatorem hæc omnia fecisse, quia quæ in lege tradiderat æqua non esse, sagaciter animaduertebat. Tu, qui tot à Deo collustratus es dotibus, tuæ falsitatem, & nostræ sanctitatem, piè contemplare, relictaq. huiusmodi impiæ legis insania, sacro Baptismatis fonte Baptizatus, Christianam, vt veriorem festinanter amplectere, atque Euangelio indubitatam adhibe fidem.

Rem tibi non suadeo nouam, vel insuetam, tutum est iter, quod ostendo, multi hoc, & magni Reges ingressi sunt.

Apud Francos ex gentili, & Idolatra Christianus effectus Clodoueus, simulquè cum eo omnes Regni proceres.

Apud Hyberos in Asia commorantes, imperante Constantino maiore Rex gentis cum Coniuge, omniq. nobilitate, atque plebe, baptizatus est.

Apud Hungaros Stephanus nostris initiatus sacris, omnem illam gentem Christo Domino acquisiuit.

Apud Longobardos, Agilulphus relinquens Idola, Christianæ legi sese subiecit.

Con-

Constantinus ipse Imperator, & Monarcha tibi viam aperuit. Omnes enim ferre, qui eum præcessērunt Imperatores Deos colebant: At Constantinus à Beatissimo Syluestro in simulacris dæmonia coli, & vnum tantum Deum esse cum Patre, & Spiritu sancto Christum Iesum, in Euangelicaq. tantummodo lege salutem inueniri, persuasus, statim hanc nostram fidem absque vlla mentis hæsitatione amplexus est, & alto animo, iactans in Deum spem suam, edidit legem, qua publicè coli iussit, & eam fidem teneri ab omnibus Imperio subiectis, quam duo illi pauperculi, pedibusq. nudi Petrus, & Paulus. (O magna Christianæ fidei veritas) tradidissent Romanis, quibus stultitia Christus erat, nihil tunc vilius nomine Christiano, & tamen Romana Ciuitas cum penè omnibus dominaretur gentibus, per Euangelicam prędicationem, quanto erat per Diabolum tenacius illigata, tanto fuit, & est mirabilius absoluta, & quæ erat magistra erroris, facta est discipula veritatis.

Nè igitur, Princeps, de vllo dubites, sciasque quærentibus toto corde salutem Deum non deesse, sed omnibus benignum affluenter præstare auditum; hominesque in tenebris ambulantes, suæ bonitatis splendore, illustrare.

En tandem, quomodo per tot labores, quibus in intelligentia tui libri versabar, ad finem, Deo præstante peruentus sum; At revera (Princeps) dum hæc, quæ in eo contenta sunt perlegi, duo mihi in animo versata fuere. Primum nùm ridendus potius, ac contemnendus, quàm responsione aliqua perstringendus esset liber tuus; cum ènim nihil, præterquam ridiculas, vulgares, tritas, toties Ecclesiæ gladio, iugulatas, eius inimicorum rationes perspicerem, quid-

quidnam magis opportunum videbatur, quam responsionis loco obiecta tam leuia paruipendere? At quamquam id facere possem, nunquam tamen in hanc sententiam induci potui, vt tui ac tuorum subditorum salutem risu dignam, aut aspernendam arbitrarer; pro quibus Christus proscriptus, & Crucifixus est. Alterum quod animus apud se volutabat libenter amplexus sum, ad responsionesq. obiectionum (qualescumque fuerint) perueni: Hæc feci, Magne Princeps, quia super te, (testem Deum inuoco in animam meam) ita commota sunt omnia viscera mea, vt pro vulnerato, non tam omnia mea, quam meipsum erogare optem; Aliud enim hoc in certamine mihi non proposui, quam eam victoriam, quæ à Christi milite quæri solet, quæque sine pernicie, aut dedecore hostium comparatur. Veritatem, scilicet agnoscas & amplectaris, hoc vnum cupio, vnum à Deo supplex exposco: Quapropter humiliter te deprecor, atque hortor, vt benignè, quæ legeris, audias, nec prius damnes quam iudices, nec prius iudices, quam singula diligenter intelligas. Accipe, quæ scripsi in bonam partem, & à principio vsque in finem patienter audi, sicut & ipse patienter tua perlegi, non enim te odio prosequor, quamuis meæ Religionis hostis crudelis existas, diligo enim (iubente Christo) inimicos meos, & pro persecutoribus oro. At non timeo, te Principem Nobilem, non rationis incapacem, neque ingenio obtusum, statim cum hæc legeris, omnia non conseruaturum in mente tua, consulturumq. tibi, ac tuæ genti, nec incredulum, sed fidelem te ostensurum, densissimas relicturum tenebras, ac veram lucem sequuturum. Intellige quibus pedibus claudicet tua lex, quantis scatet erroribus, quam procul à veritate recedat, & tandem, quod non

sit

sit in ea salus; nec inficior, quin intelligas, quam solida sit Euangelica doctrina, quam vera, quam sancta, quam munda, quam immaculata, & quod ea tantum, & non alia iter in Cœlum aperiat, nec tandem dubito, (si hęc feceris) te optimè collecturum, nullam in Euangeliorum doctrina repugnantiam, atque contradictionem reperiri; quidque de Incarnati Verbi, ac Sanctissimę Triadis personarum mysterijs secundum veritatem sentiendum sit, quæ si respueris, peribit tanquam fumus gloria tua, & tu more hominum in cinerem reuersus, totus morieris, animaq. tua, heù miser, in Inferno per æternitatem manebit, Christus vero regnabit in ęternum, cui est honor, & gloria in sęculorum sęcula. Amen.

FINIS.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM IN HOC OPERE CONTENTORVM.

A

B

C

D

Es-

E

F

G

H

I

L

Dif-

M

N

O

P

Pater

R

S

Nihil

FINIS.

Omiſſa, & Commiſſa ſupplenda, & emendanda.

Pag.	2	*confuſioni*	*confuſionis*
Pag.	4	*per tria*	*propter tria*
Pag.	11	*habetes*	*hebetes*
Pag.	14	*amboq.*	*ambo*
Pag.	14	*repleat*	*replet*
Pag.	16	*quod*	*Quomodo*
Pag.	23	*explicationis*	*exemplis*
Pag.	26		*cognitione*
Pag.	28	*deueniendo*	*deueniamus*
Pag.	29	*Halij*	*Alij*
Pag.	41	*Dominus*	*dicens*
Pag.	42	*eum*	*per*
Pag.	43	*homines*	*hominem*
Pag.	57	*ſpatio*	*ſpatium*
Pag.	61	*ſuppoſitæ*	*ſupradictæ*
Pag.	65	*primumq.*	*primamq.*
Pag.	90	*veniret*	*veniet*
Pag.	92	*cecinirunt*	*cecinerunt*
Pag.	93	*mirabilem*	*mirabiliter*
Pag.	94	*internis*	*inermis*
Pag.	97	*ſolum*	*ſoli*
Pag.	97	*neceſſariam*	*neceſſarium*
Pag.	103	*omnes*	*homines*
Pag.	103	*hoc homo*	*hic homo*
Pag.	108	*Antoganiſtam*	*Antagoniſtam*



ROMAE,
Typis Sac. Congr. de Propaganda Fide.
MDCXXVIII.

SVPERIORVM FACVLTATE.